This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

36 K

ANDOVER-HARVARD

THEOLOGICAL LIBRARY

PURCHASED WITH THE

INCOME OF THE

HELEN O. STORROW FUND

Luther, Martin,

D. MART. LUTHERI

EPISTOLAE

STUDIO ATQUE OPERA

b. G. THEOD. STROBELII

PAST. OLIM WOEHRDENSIS

CONLECTAE.

QUAS

NON SINE BREVI PRAEFAMINE

EDIDIT

GODOFR. CHRISTOPH. RANNERUS.

Von dem Herausgeber, meinem nächsten Freunde, zum Geschenk erhalten, 1828, als ich von Leipzig zurückkam.

Dr. Meyer

NORIMBERGAE

SUMTU IOH. BERN. GEYERI

A. R. S. MDCCCXIV.

608.2
L97.7
1814

Indiculus
Epistolarum D. Mart. Lutheri.

Sectio prior.

I. Ad Melanchthonem ann. 1518.
II. ad eumdem s. ann.
III. Fragmentum epistolae.
IV. ad eumdem Melanchthonem ann. 1521.
V. ad eumdem, ann. 1530.
VI. ad eumdem, ann. 1539.
VII. ad eumdem, ann. 1540.
VIII. ad eumdem, ann. eiusd.
IX. ad eumdem, ann. eiusd.
X. ad eumdem, ann. eiusd.
XI. ad eumdem, ann. 1546.

Sectio posterior.

I. ad Spalatinum, ann. 1513. aut 1514.
II. ad Christoph. Scheurl. ann 1517.
III. ad eumdem, ann. eiusd.
IV. ad eumdem, ann. eiusd.
V. ad eumdem, ann. eiusd.
VI. ad eumdem, ann. 1518.

Brewster fund
67 x 82

VII. ad Christoph. Scheurl, ann. 1517.

VIII. ad Joan. Eccium, ann. eiusd.

IX. ad Joh. Reuchlin, ann. eiusd.

X. ad Christoph. Scheurl, ann. 1519.

XI. ad eumdem, ann. eiusd.

XII. ad Spalatinum, ann. eiusd.

XIII. ad Johannem, Ducem Saxoniae, ann. 1520.

XIV. ad Johannem Thurzonem, Episcopum Vratislauiensem, ann. eiusd.

XV. ad Carolum V. Imperatorem Rom. ann. eiusd.

XVI. ad Guntherum de Bünau, Canonicum Merseburgens. ann. eiusd.

XVII. ad Fabianum Foelicem (Feilitsch) Equitem Germanum, ann. eiusd.

XVIII. ad Iustum Ionam, ann. 1521.

XIX. ad Fratres suos Augustinenses Coenobii Wittemberg. ann. eiusd.

XX. ad Iohan. Lutherum, Parentem suum, ann. eiusd.

XXI. ad Conradum Pelicanum, Minoritanum, ann. eiusd.

XXII. ad Reu. Patrem Brismannum Theologum etc. ann. 1522.

XXIII. ad Sebast. Schlik, Comitem in Passun, Dominum in Elbogen, ann. eiusd.

XXIV. ad Nicolaum Hausmannum, ann. eiusd.

XXV. ad Ioannem Oecolampadium, an. 1523.

XXVI. ad Theobaldum Billicanum, Pastorem Noerdlingensem, ann. eiusd.

XXVII. ad Ioa. Staupitium, Abbatem Salisburgensem, ann. eiusd.

XXVIII. ad Iohannem Loser, Pretensem haereditarium, in Saxonia Hipparchum, ann. eiusd.

XXIX. ad Bernhardum, Iudaeum conuersum, ann. eiusd.

XXX. ad Wolfgangum Fabritium Capitonem, ann. 1524.
XXXI. ad eumdem, ann. eiusd.
XXXII. ad Ioa. Brismannum, ann. eiusd.
XXXIII. ad Hieronymum Baumgartnerum, ann. eiusd.
XXXIV. ad Nicol. Hausmannum, ann. eiusd.
XXXV. ad eumdem, ann. eiusd.
XXXVI. ad Georg. Raudt, Praedicatorem in Plauen, ann. eiusd.
XXXVII. ad Ioh. Scotum, insignem Equitem, ann. eiusd.
XXXVIII. ad Ioa. Brismannum, ann. eiusd.
XXXIX. ad Nicol. Hausmannum, ann. 1525.
XL. ad Ioh. Brismannum, ann. eiusd.
XLI. ad eumdem, ann. eiusd.
XLII. ad Matth. Aulberum, Reutlingensem, ann. 1526.
XLIII. ad Nicol. Gerbelium, ann. eiusd.
XLIV. ad Nicol. Hausmannum, ann. eiusd.
XLV. ad eumdem, ann. 1527.
XLVI. ad Ioh. Brismannum, ann. eiusd.
XLVII. ad Nicol. Hausmannum, ann. eiusd.
XLVIII. ad Georg. Spalatinum, ann. 1528.
XLIX. ad Wilhelmum Praueslum, Pastorem in Kilo — ann. eiusd.
L. ad Balthasarem Thuringum, ann. eiusd.
LI. ad Gerh. Villscampum de Sanctis Lamp. ann. eiusd.
LII. ad Martinum Gorolitium, Brunsvicens. Eccles. Antistitem, ann. 1529.
LIII. ad Nicol. Amsdorfium, ann. eiusd.
LIV. ad Joh. Hessum, ann. eiusd.
LV. ad Nic. Amsdorfium, ann. eiusd.
LVI. ad Nic. Hausmannum, ann. eiusd.

LVII. ad Nicolaum Hausmannum, ann. 1529.
LVIII. ad Balthaſ. Thuringum, Paſt. Coburg. ann. eiusd.
LIX. ad Wencesl. Lincum, ann. eiusd.
LX. ad Caſp. Aquilam, Paſt. Saalfeldenſ. ann. eiusd.
LXI. ad Amsdorffium, ann. eiusd.
LXII. ad eumdem, ann. eiusd.
LXIII. ad eumdem, ann. eiusd.
LXIV. ad Nic. Hausmannum, ann. eiusd.
LXV. ad Gerard Heckerum, — ann. eiusd.
LXVI. ad Iuſt. Ionam, ann. eiusd.
LXVII. ad Andr. Kaugisdorfium, Paſt. Eilenburgenſem, ann. eiusd.
LXVIII. ad Amsdorffium, ann. eiusd.
LXIX. ad eumdem, ann. eiusd.
LXX. ad Wencesl. Lincum, ann. eiusd.
LXXI. ad Iuſt. Ionam, D. ac Archiepiſcopum Miſnenſem et Saxonicum, ann. eiusd.
LXXII. ad Wencesl. Linck. ann. eiusd.
LXXIII. ad Matthiam, Episcopum Gadenſem, ann. eiusd.
LXXIV. ad Nicol. Amsdorfium, ann. eiusd.
LXXV. ad Iuſt. Ionam, ann. eiusd.
LXXVI. ad eumdem, ann. eiusd.
LXXVII. ad Wencesl. Lincum, ann. eiusd.
LXXVIII. ad Nicol. Amsdorfium, ann eiusd.
LXXIX. ad Nicol. Hausmannum, ann. eiusd.
LXXX. ad Wencesl. Lincum, ann. 1529.
LXXXI. ad Ioa. Brismannum, ann. eiusd.
LXXXII. ad Nicol. Hausmannum, ann. eiusd.
LXXXIII. ad eumdem, ann. eiusd.
LXXXIV. ad Iuſt. Ionam, ann. eiusd.
LXXXV. ad Nicol. Hausmannum, ann. eiusd.

LXXXVI. ad Wencesl. Lincum, ann. 1529.
LXXXVII. ad Nicol. Gerbelium, Iuris Doct. Argentin. ann. eiusd.
LXXXVIII. ad Fridericum Myconium, ann. eiusd.
LXXXIX. ad Nicol. Amsdorfium, ann. eiusd.
XC. ad Nicol. Hausmannum, ann. eiusd.
XCI. ad Wencesl. Lincum, ann. eiusd.
XCII. ad Ioh. Langium, ann. eiusd.
XCIII. ad Nicol. Hausmannum, ann. eiusd.
XCIV. ad eumdem, ann. 1530.
XCV. ad eumdem, ann. eiusd.
XCVI. ad Conradum Cordatum, ann. eiusd.
XCVII. ad Georg. Wicelium et Antonium Hermannum, afflictos in Bilnitz, ann. eiusd.
XCVIII. ad Conradum Cordatum, ann. eiusd.
XCIX. ad Iust. Ionam, ann. eiusd.
C. ad Wencesl. Lincum, ann. eiusd.
CI. ad Nicol. Hausmannum, ann. eiusd.
CII. ad Ioa. Agricolam, ann. eiusd.
CIII. ad Hieronymum Wellerum, ann. eiusd.
CIV. ad Conr. Cordatum, ann. eiusd.
CV. ad Ioa. Brismannum, ann. eiusd.
CVI. ad Vitum Theodorum, ann. eiusd.
CVII. ad Petr. Hackenbergium, ann. eiusd.
CVIII. ad M. Joh. Sutelium, Ministrum Dei Gottingae, ann. 1531.
CIX. ad Nicol. Hausmannum, ann. 1531.
CX. ad Cyriacum N. in arce Coeten, Ministrum uerbi, ann. eiusd.
CXI. ad Andr. Osiandrum, ann. eiusd.
CXII. ad Hieronym. Wellerum, ann. eiusd.
CXIII. ad Bernhardum a Doelen, Pastorem in Sitten, ann. eiusd.

CXIV. ad Miniſtros uerbi ſinceros apud Cygneos, Ioh. Gobel, Liborium Magdeburg. Matth. Krotiſch et Adam. Schumann, ann. 1531.

CXV. ad Matth. Crozſch, Paſtorem Cygnenſem, ann. eiusd.

CXVI. ad Ioa. Brismannum, ann. eiusd.

CXVII. ad Nicol. Hausmannum, ann. eiusd.

CXVIII. ad eumdem, ann. eiusd.

CXIX. ad Gerhardum Xantis, Patrem domus Fratrum et collegas ipſius in Herfordia, ann. 1532.

CXX. ad Andr. Oſiandrum, ann. eiusd.

CXXI. ad Nicol. Hausmannum, uerbi in Deſſau Miniſtrum, ann. eiusd.

CXXII. ad eumdem, ann. eiusd.

CXXIII. ad Bernh. Rothmannum, Monaſterii in Weſtphalia Miniſtrum, ann. eiusd.

CXXIV. ad Iohannem, Georgium et Ioachimum, Principes Anhaltinos, ann. eiusd.

CXXV. ad Theologos Norimbergenſes, ann. 1533.

CXXVI. ad Nicol. Hausmannum, ann. eiusd.

CXXVII. ad Georgium Heltum Forchemium, ann. eiusd.

CXXVIII. ad Georgium, Anhaltinum Principem, ann. eiusd.

CXXIX. ad Nicol. Hausmannum, ann. eiusd.

CXXX. ad eumdem, ann. eiusd.

CXXXI. ad Ioh. Agricolam, ann. eiusd.

CXXXII. ad Andr. Oſiandrum, ann. eiusd.

CXXXIII. ad Wenceslaum Linck, ann. eiusd.

CXXXIV. ad Nic. Hausmannum, ann. eiusd.

CXXXV. ad eumdem, ann. eiusd.

CXXXVI. ad Leonhardum Beyerum, Paſtorem Eccleſiae Zuiccauienſis, ann. 1534.

CXXXVII. ad Nicol. Hausmannum, ann. eiusd.

CXXXVIII. ad Nicol. Hausmannum, ann. 1534.
CXXXIX. ad eumdem, ann. eiusd.
CXL. ad eumdem, ann. eiusd.
CXLI. ad eumdem, ann. eiusd.
CXLII. ad Fridericum Myconium, ann. eiusd.
CXLIII. ad Nicol. Hausmannum, ann. eiusd.
CXLIV. ad eumdem, ann. eiusd.
CXLV. ad Argentinensis Ecclesiae Pastores, ann. 1535.
CXLVI. ad M. Antonium Lauterbach, Ministrum Christi in Leysnig, ann. eiusd.
CXLVII. ad Iohannem Carionem, ann. eiusd.
CXLVIII. ad omnes bonos et pios, maxime eos, qui Christum colunt et confitentur, ann. eiusd.
CXLIX. ad Augustanae Ecclesiae Ministros, ann. eiusd.
CL. ad Vrbanum Regium, ann. eiusd.
CLI. ad Vitum Theodorum, ann. 1336.
CLII. ad Nicol. Hausmannum, ann. eiusd.
CLIII. ad eumdem, ann. eiusd.
CLIV. ad Martinum Bucerum, ann. eiusd.
CLV. ad Ioannem Brismannum, ann. eiusd.
CLVI. ad Capitonem, ann. eiusd.
CLVII. ad Nicolaum ab Amsdorf, ann. eiusd.
CLVIII. ad Nicol. Hausmannum, ann. eiusd.
CLIX. ad Iustum Menium, Pastorem Isenacensem, ann. eiusd.
CLX. ad Iohannem Lutherum, ann. 1537.
CLXI. ad Wolffgangum Capitonem, ann. eiusd.
CLXII. ad Iohannem Langerum, Pastorem Coburgensem, ann. eiusd.

CLXIII. ad Mart. Bucerum, ann. 1537.
CLXIV. ad Nicol. Hausmannum, ann. 1538.
CLXV. ad eumdem, ann. eiusd.
CLXVI. ad Sebastianum Hellerum, Cancellarium Anspacensem, ann. 1538.
CLXVII. ad Henricum Bullingerum, ann. eiusd.
CLXVIII. ad Bernhardum a Doelen, ann. eiusd.
CLXIX. ad eumdem, ann. eiusd.
CLXX. ad Iacobum Probst, ann. eiusd.
CLXXI. ad Nicol. Amsdorf, ann. eiusd.
CLXXII. ad M. Iohannem Lubigk, Ministrum uerbi in Cotbus, ann. 1539.
CLXXIII. ad Franciscum de Rheva, Comitem Thuracensem, ann. eiusd.
CLXXIV. ad Antonium Lauterbachium, Pastorem Pirnensem, ann. eiusd.
CLXXV. ad eumdem, ann. 1540.
CLXXVI. ad Hieron. Wellerum, ann. eiusd.
CLXXVII. ad Casparum Guttelium, ann. eiusd.
CLXXVIII. ad Anton. Lauterbach, ann. eiusd.
CLXXIX. ad eumdem, ann. eiusd.
CLXXX. ad eumdem, ann. eiusd.
CLXXXI. ad eumdem, ann. eiusd.
CLXXXII. ad eumdem, ann. eiusd.
CLXXXIII. ad eumdem, ann. eiusd.
CLXXXIV. ad Iac. Stratnerum, Legatum Christi in Marchia, ann. eiusd.
CLXXXV. ad eumdem, ann. 1541.
CLXXXVI. ad Frider. Myconium, ann. eiusd.
CLXXXVII. ad Anton. Lauterbachium, ann. eiusd.
CLXXXVIII. ad Vitum Theodorum, ann. eiusd.
CLXXXIX. ad Ioannem Mathesium, ann. eiusd.
CXC. ad Nicol. Amsdorfium, ann. 1542.

CXCI. ad Hier. Wellerum, ann. 1542.
CXCII. ad Iustum Ionam, ann. eiusd.
CXCIII. ad eumdem, ann. eiusd.
CXCIV. ad Ioh. Forsterum, Praepositum S. Laurentii Noribergensis, Legatum Christi Regenspurgensem, ann. eiusd.
CXCV. ad Martinum Gilbertum, Pastorem Mariaebergensem, ann. 1543.
CXCVI. ad Georgium Heltum Forchemium, ann. eiusd.
CXCVII. ad Ecclesiarum Venetiarum Vicentium et Teruisii Fratres, ann. eiusd.
CXCVIII. ad Vitum Theodorum, ann. eiusd.
CXCIX. ad Iustum Ionam, ann. eiusd.
CC. ad Nicol. Amsdorfium, ann. eiusd.
CCI. ad Hermannum Bonnum, ann. eiusd.
CCII. ad Matthiam Romaschi, Pastorem Cibinensem, ann. eiusd.
CCIII. ad Iustum Ionam, ann. eiusd.
CCIV. ad Vitum Theodorum, ann. eiusd.
CCV. ad Nicol. Amsdorfium, ann. eiusd.
CCVI. ad Nicol. Medlerum, Pastorem Naumburgensem, ann. eiusd.
CCVII. ad Georg. Spalatinum, ann. 1544.
CCVIII. ad Iustum Ionam, ann. eiusd.
CCIX. ad Ministros uerbi in Ecclesiis Eperies et uicinorum locorum, ann. eiusd.
CCX. ad Ioh. Honterum, ann. eiusd.
CCXI. ad Martinum Gilbertum, ann. eiusd.
CCXII. ad Georg. Spenlin, Pastorem Arnstadiensem, ann. eiusd.
CCXIII. ad Nicolaum Amsdorfium, Episcopum Naumburgensem, ann. eiusd.
CCXIV. ad Nicol. Amsdorfium, ann. eiusd.

CCXV. ad Christoph. Piscatorem, uerbi in Juterbock ministrum, ann. 1544.
CCXVI. ad Anton Lauterbachium, ann. 1545.
CCXVII. ad Iustum Ionam, ann. eiusd.
CCXVIII. ad Georgium, Principem Anhaltinum, ann. eiusd.
CCXIX. ad Martinum Gilbertum, ann. eiusd.
CCXX. ad Casparum Heidenreich, ann. eiusd.
CCXXI. ad Georgium Mohr, ann. eiusd.
CCXXII. ad Scultetum, Pastorem in Belgern, ann. eiusd.
CCXXIII. ad Wolfg. Fabritium Capitonem Hedionem et M. Bucerum, ann. 1546.
CCXXIV. ad Nicol. Amsdorfium, ann. eiusd.
CCXXV. ad Crotelium, s. ann.

ALTORFII,

TYPIS TOB. HESSELII.

Q. B. V.

Lectori Salutem.

Tradimus Tibi, Lector, epistolarum conlectionem, ad diversos eruditione non solum, sed, quod magis est, pietate etiam insignes Viros a beatae memoriae Viro, D. Mart. Luthero elaboratarum, derivatam variis ex fontibus congestamve corpus in unum multis iam abhinc annis, cura studiove b. Georg. Theod. Strobelii, Pastoris olim, quum viveret, Woehrdensis, Viri, de Ecclesia, ut et in primis de re literaria, praesertim ea, quae ad restauratorum Sacrorum

tempora pertinere videatur, si quis umquam, insigniter atque optime meriti, id, quod omnia, eaque non pauca, scripta satis superque testantur, quae suo nomine prodiere in publicum, quaeque a quovis fere veri nominis erudito iam olim merita laude excepta *), hodie adhuc ab iis praecipue, qui hoc genus literaturae suam eamque diligentem atque adcuratam navant operam, iustis ornata encomiis evoluuntur, testiumque satis locupletum sub nomine hinc atque inde in recentiorum autorum literarii generis scriptionibus citata reperiuntur.

---

*) Huc pertinent in primis sequentia: Miscellaneen literar. Inhalts, herausgegeb. von G. Theod. Strobel. Samml. I - VI. Nurnb. 1778 - 82. oct. maj. Neue Beyträge zur Literatur, bes. des XVI. Jahrh. eod. aut. Nurnb. u. Altd. B. I — III. 1790 - 92. De his legendus in primis D. Ioh. Christph. Doederlein. theol. Iournal. Ien. und Nurnb. 1792. oct. pag. 310. seqq. Alia multa, quae Viri eruditi memoriam intermori non sinunt, scripta, ut notissima et ab omnibus, quibus umquam innotuere, iure laudata meritoque aliis commendata lubenter praeterimus.

Eamdem hanc conlectionem, quam Tibi, Lector, curamus quam emendatissime exhibendam, debemus Viri beati Viduae, adhuc superstiti, Matronae morum integritate, in maritum defunctum pietate, ingeniive literis exculti laude iis omnibus admodum venerandae, quibus eam propius noscere umquam contigit, — quae, quo minus interiret illa studiose facta diligenterve conlectio, impeditura, curaturaque, ut in eorum perveniat manus, quibus eiusmodi scriptiones pluribus de causis iure meritoque maxumi aestimantur — dare illam, typis non inelegante exscriptam, in publicum constituit, atque, ut hoc huius Matronae venerandae consilium, neutiquam vituperio, sed plausu potius prosequendum, eo certius, eoque felicius daretur effectui, Manuscriptum, quod a. b. mariti obitu multos per annos in eius latuerat scriniis literariis, Norimbergensi Librario, Ioa. Bern. Geyero, Viro honesto, certis sub conditionibus iisque aequissimis tradendo permisit, cuius Viri rogatu additisve Matronae supra laudatae precibus et

nos moti conlectioni huic hancce praemittere praefatiunculam apud nos constituimus.

Quod ad opusculum ipsum, Tecum, Lector, communicandum, adtinet, duabus fere partibus absolvitur, altera minori breviorique, in qua conlectae exhibentur epistolae aliquot a b. Luthero ad Melanchthonem datae, — altera maiori copiosioreque, in qua leguntur varii admodum generis atque argumenti epistolia, a b. Luthero ad diversos missa. Distincta haec epistolarum congeries, quarum numerus ad CCXXXVI adsurgit, ad rationes chronologicas ordinata, duobus chartarum foliis, quorum priori inscripta Sectio prior, posteriori Sectio posterior, cetera omnino puris. Et quoniam singulae epistolae variis variorum ex scriptis desumtae, et in unum hoc opusculum adparent coagmentatae; nostri duximus officii, horum autorum nomina, eorumque voluminum inscriptiones, quantum fieri possit, textae orationi subiicere, e quibus in hanc sunt deriuatae conlectionem.

Verum enim vero, etiam in iuniorum Literaturae huius studiosorum gratiam paucula aliqua videntur adhuc nobis neutiquam omnino praetereunda. Scilicet, uti Melanchthonis multae ac variae variis locis in publicum datae epistolarum extant conlectiones; *) sic et Lutheri epistolae, diversis temporibus ad varios varii ordinis conditionisve homines elaboratae missaeve in publicam, typis exscriptae, prodiere lucem. Quas inter conlectiones epistolarum a b. Luthero scriptarum in primis illa laudari meretur, cuius Tom. I. cur. Ioa. Aurifabri Ien. 1556. quat. et Tom. II. Isleb. 1565. quat. postea vero repetitis vicibus nutu autoritateque Georg. Coelestini Berol. 1579. Voll. duobus form.

---

*) Melanchthonis Epistolarum c. Th. Mori et Ludou. Viuis epistt. conlectio ea, quae prodiit Lond. 1642. Fol. merito dicitur splendida, et rara Engel. I. p. 108. Adsunt autem et aliae harum epistt. conlectiones, quas laudatas inuenies in Bibl. libb. rarr. uniuers. Tom. III. pag. 51. Conf. quoque Biblioth. Melanchth. in b. Strobelii Miscell. Tom VI. pag. 47. seq.

quadripart. prodiere, qua de conferendus Vogt. Cat. pag. 422. edit. 3. cuiusve et instituta mentio in Bibl. libb. rarr. univers. Tom. II. pag. 327. Quibuscum coniungendus Cat. Bibl. Ebner. c. notatt. Godofr. Christoph. Ranneri Tom. II. pag. 120. nrr. 2566. 67. ubi conlectionis huius editio antiquior legitur laudata. Cui addendus Syllabus Epistolarum D. Mart. Lutheri ab ann. 1528. ad 1546. scriptarum, quae Tom. III. Epistolarum quasi constituunt — editus a Chr. Sagittario, Altenb. 1663. quat.

At vero, quoniam contrahenda vela properandumque nobis ad finem, praeteritis multis aliis, quae hic forent dicenda, hoc unum adhuc monitum eamus harum rerum studiosos, Seculo proxime elapso, post Supplementum Epistolarum Lutheri c. dissert. praeliminari Ioa. Franc. Buddei, Hal. 1703. quatern. procuratum, editam fuisse autore D. Godofr. Schützio, conlectionem epistolarum b. Lutheri lat. idiomate exaratarum, quam dein in vernaculam transfudisse fertur Ioa. Sigfr.

Vuiserus, Prof. Viennens. publicatam Tomm. tribus Lips. 1784. octon. mai. nec sine adnotationibus, sub cuiusque Voluminis finem adiectis, dimissam. Sequitur tralator in hac sua tralatione ordinem quidem chronologicum, ab editore modo laudato latino non satis adcurate servatum, uti legere est in praefat. interpretis teutonici statim ab initio Tom. I. pag. 2. Verum et in hac ceterum satis bona interpretatione hinc inde aliqua occurrunt corrigenda atque mutanda in melius. Vt unum atque alterum ad roborandam nostram addamus sententiam, Tom. I. pag. 162. vocula — Traurenden — tristium — cum verbulo — hostium — erat ab interprete commutanda. Eiusd. Tom. pag. 185. posuit interpres vocem — Durcheinander — Erronee. Etenim exprimenda erant verbula haec — quia vera sunt. Eiusd. Tom. I. pag. 335. pro Wesel ponendum erat Wicel. — Alia, ne nimis longi simus, silentio nobis praetereunda.

Quod reliquum est, optamus ex animo, ut et haecce epistolarum b. Lutheri conlectio non paucos eosque sedulos diligentesve nanciscatur lectores, qui seria a facetis, gravia a levibus, a nucleo corticem distinguendo separent, nec in verbis haereant, verum το πνευμα, quod istis inest, mente adsequi, suaque ipsorum vita, i. e. sensu agendique ratione omni exprimere studeant. Quod si fit, maximo harum epistolarum Autor et post fata adficietur honore, consilio b. Conlectoris quam adcuratissime respondebitur, ipsaque opella, eiusmodi effectus saluberrimi alma procreatrix atque nutrix benigna, meliori honorabitur modo permanenteque magis ratione quam multis multorum vanis encomiis, quae vel doctiorem vel meliorem reddunt neminem. Vale, Lector, diuque sospes vive.

Scrips. Norimb. d. 5 Febr. 1814.

SECTIO PRIOR.

CONTINENS b. LUTHERI

AD

MELANCHTHONEM EPISTOLAS.

I.

Eruditissimo suo dulcissimoque Philippo Melanthoni, graeca profitenti Wittembergae, in Christo suscipiendo.

Salutem. Iohannem nostrum Bossenstein, mi dulcissime Philippe, a te potius accipio commendatum, quam tibi commendatum facio. Homo est, ut uideo, anxius et modicae fidei, quae res, timeo, ne familiaritatem uestram faciat ei rariorem: sed tu uiscera, non ossa in eo ostende una cum reliquis. De mea causa D. Carlstadium certum faciet. Nihil noui aut miri hic agitur, nisi quod mei nominis rumore plena est ciuitas, et omnes cupiunt uidere hominem tanti incendii Herostratum.

Tu age uirum sicut et agis, et adolescentes recta doce: ego pro illis et uobis uado immolari, si Deo placet. Málo enim perire, et quod unum mihi grauissimum est, uestra dulcissima conuersatione carere in aeternum, quam ut reuocem bene dicta, et studiis optimis perdendis occasio fiam.

Apud hos ut insipientissimos ita acerrimos literarum et studiorum hostes Italia est in Aegypti tenebras palpabiles proiecta, adeo ignorant omnes Christum, et ea quae Christi sunt: hos tamen Dominos et Magistros habemus fidei et morum. Sic impletur ira Dei super nos, qui dicit: Dabo pueros Principes eorum, et effoeminati dominabuntur eis. Vale, mi Philippe, et Dei iram castis precibus auerte. Augustae feria 2 post. Dionysii (d. 10. Oct.) 1518.

II.

Philippo Melanchthoni, Schwartzerd, Graeco, Latino, Hebraeo, Germano, nunquam Barbaro.

Salutem. Hodie contemsisti (quod et Musa et Apollo tibi ignoscant) et me et nouellum (ut uocant) Doctorem. Nunc, quamquam non fuit ista res penitus mea, ipse quidem ignoui, uerum nisi hac hora comparueris Dn. Doctori Andreae Carlstadt et Licent. Amsdorfio, maxime uero et Rectori, nec ipsa quidem te Graecitas excusare poterit, nedum Martinus ille fraterculus, ut ait Caietanus. Credit se, ut iocari solet, barbarum a graeco uilius habitum Doctor nouellus. Tu uide, quid

agas; nam te certissime venturum hac hora ipse promisi: meum officium feceris, si veneris, quanquam mire vellem D. Vitum et Iohannem Schwertfeger tecum duceres. Nam hoc vesperi ego hospes ero, cui cognitissimi imo amatissimi sunt. Tuo iudicio et consilio, maxime vero meo mandato (si quid tamen valet fraterculus ille) veniant tecum. Vale.

Fraterculus Martinus Ελευθερος.

III.

Fragmentum epistolae.

Audio Erfurdiae in sacerdotum domus vim fieri, quod miror permitti et dissimulari a Senatu, tum taceri a Lango nostro. Nam etsi bonum est incessabiles illos impios coerceri, modus tamen iste evangelio nostro parit et infamiam iustamque repulsam. Scriberem Lango, sed nondum possum. Vehementer enim me offendit ista gratia hominum in nos. Ex qua liquido videmus nondum esse nos dignos coram Deo verbi sui ministros, et Satanam in nostra studia ludere et ridere. O quam metuo, ne ficus illa sit parabolica, quae ante diem iudicii praedicitur Matth. 21. producere tantum, nec ad fructum pervenire: veritas est quidem, folia et verba tamen sunt, dum non ita facimus, sicut docemus.

IV.

Philippo Melanthoni, Euangeliſtae Wittembergenſis Eccleſiae, ſuo in Chriſto clariſſimo Fratri.

Salutem. Tu uero quid interim facis, mi Philippe? an non pro me oras, ut ſeceſſus iſte, quem inuitus admiſi, operetur aliquid maius in gloriam Dei? atque adeo quomodo tibi placeat, ſcire cupio. Verebar ego, ne aciem deſerere uiderer, nec tamen patebat uia, qua uolentibus et conſulentibus reſiſterem. Nihil magis opto, quam furoribus aduerſariorum occurrere obiecto iugulo.

Ego hic ſedens tota die faciem Eccleſiae ante me conſtituo, et illud uideo Pſalm. 88. numquid vane conſtituiſti omnes filios hominum? Deus, quam horrendum irae Dei ſpectrum eſt, abominabile illud Romani Antichriſti regnum: ac meam duritiam deteſtor, qui non totus in lacrimas reſoluor, ut et ego fontibus lacrimarum flerem interfectos filios populi mei. Sed non eſt qui ſurgat et teneat Deum, aut opponat ſeſe murum pro domo Iſrael, in hoc die nouiſſimo irae eius. O dignum regnum Papae fine et fece ſeculorum. Deus miſereatur noſtri.

Quare

Quare tu uerbi minister interim insta et munito muros et turres Hierusalem, donec et te inuadant. Vocationem tuam et dona agnoscis. Ego pro te unice oro: si quid potest, sicut non dubito, oratio mea. Tu ergo mutuum redde, et portemus inuicem onus istud. Nos soli adhuc stamus in acie: te quaerent post me.

Spalatinus scribit, edictum tam saevum cudi, ut sub conscientiae periculo sint exploraturi orbem super meis libellis, ut cito interitum sibi comparent. Gaudet Roboam Dresdensis, ualde anhelus exsequi talia, Caesarem etiam impetitum, ut Regi Daciae scriberet, ne reliquias Lutheranae haereseos recipiat, et cantant illud: quando morietur et peribit nomen eius?

Hartmannus Cronenbergius renunciauit Caesari stipendium 200 aureorum nummorum, nolens seruire ei, qui impios istos audiat. Fore credo, ut edictum istud nusquam saeuiat, nisi sub Roboam isto, et altero uicino uestro, quos gloria uexat inanis. Deus uiuit et regnat in saecula saeculorum, Amen.

Dominus percussit me in posteriora graui dolore. Tam dura sunt excrementa, ut multa vi usque ad sudorem extrudere cogar, et quo diutius

differo, magis durescunt. Heri quarto die excrevi semel, unde nec tota nocte dormiui, nec adhuc pacem habeo. Ora quaeso pro me. Nam intolerabile fiet hoc malum, si promoueat, ut coepit.

Cardinalis Salisburgensis comes iuit Ferdinando ad sponsam Inspruckii uigilia Philippi et Iacobi, id est, quarto die recessus nostri. Dicitur Ferdinando comes is displicuisse, sed et Caesari, ut Spalatinus scribit. Sed tu ipse lege litteras eius. Fac, ut omnia scribas, quae apud uos aguntur, et ut omnia habent, ac uale cum carne tua. Dominica Exaudi (d. 12. Maii) 1521. in regione auium.

V.

Philippo Melanchthoni.

G. et P. in C. Post litteras uestras, mi Philippe, non credis, quantis uocum et litterarum nubibus sim obrutus, plenis querelarum de uobis, praesertim de te. Ego quidem haec inuitus scribo, ut qui sic sim affectus, ut metuam uos contristare, etiam in modico, a quo nihil nisi consolationem habere deberetis in tanta mole huius causae. Id quod hactenus fideliter praestare conatus sum. At nunc etiam cum nostris et eorum litteris mihi pugnandum est. Ego me sic defendo. Primum. Nostri Augustae, inquam, de his rebus mihi aliter et non talia scribunt. Stat autem sententia,

uobis potiùs credere, quam illis, nec ſpero, quod me aliquid oeletis, ſi ad rem pertinet. Deinde in ea ſum perſuaſione ſecurus, quod niſi ſalua confeſſione et excepto euangelio nihil ſitis conceſſuri. Quid autem ſit euangelium et confeſſio noſtra exhibita, numquid eſt opus diffiniri? Nam illud noſtrum uetus eſt, quod ſponte obtulimus omnia uelle ferre et facere etiam hostibus, quod ſalua conſcientia et euangelio poſſimus. Proinde ego quietus cauſae nihil timui. Sed de ui et fraude ſollicitus propter uos fui. Quare te per Chriſtum oro, ut quamprimum poteris, mihi uel per poſtam Norimbergenſem ſcribas, quid interim a litteris proximis actum ſit. Cogunt enim noſtrorum tragiciſſimae litterae cogitare, num interim aliquid periculi in cauſam inciderit. Muſſitabat nudius quidam inter coenandum coram iuniore Principe eiusmodi quiddam, ſed ego diſſimulans dixi: non mihi ſcripſerunt, expectabo litteras. Fac ergo, ut habeam, quo illis os obſtruam. Nam ea, quae hactenus illis reſpondi per litteras et uerba, uiluerunt et euanuerunt coram eis. Dominus Ieſus ſeruet et dirigat te in miſericordia et miſerationibus ſuis, Amen. Ex eremo. f. 3. poſt Lamperti. *) (d. 19 Septemb.) 1530.

*) Vid. Strobel. Miſcell. P. III. p. 86.

VI.

Philippo Melanchthoni.

G. et P. in C. Hodie accepi literas tuas et Myconii, mi Philippe, et laetus intellexi, nostrorum consensum firmum esse. Nos pro uobis oramus, ut Dominus det uobis spiritum consilii et intellectus aduersus cogitationes Satanae. Expectatio magna est uestrae catostrophes. Et suspicabamur in tanto silentio uestro paroxysmum esse saeuiorem. Antinomi etiam in Salueldia coeperunt furere. Senatus petiit me arbitrum iussurus huc uenire Aquilam et Diaconum certantes. Ego rem transtuli in Iustum Menium. Nec segniter agit M. Henricus Ham apud Marchionem Iohannem et discipulus feruens Stellionis istius nostri, qui iactitauit: Ich meine, die zu Wittenberg haben einen Lector kriegt, der sie wird die dialecticam leren. Vidi cupiditatem nocendi in tam sanctis Euangelistis. Christus conterat Satanam sub pedibus nostris, Amen.

Kolax iterum triumphum egit rapto et abacto diuite quodam molitore. Nos sero rem cognoscentes erupimus fortiter in uicinum campum non longe ab moeniis nostris, et ut decet pictos Christophoros et ligneos Georgios scopis aliquot territauimus nubes et astra. Fouetur hostis in Marchia manifesta perfidia. Nam uisus a Schirlenzio nostro

Brandenburgae et a Schotto est etc. Magistratus ipse admonuit nostros, esse Kolhase in urbe. Sed si uelint marchissare, dicent, lusimus quasi territantes. Tamen nos hic interim iubemus ligna intra urbem trahi (arbores puta) ne Kolax ex iis pontem faciat noctu super fossulas. Wir sind eitel Hectores et Achilles, neminem formidantes, etiamsi soli et sine hostibus sumus. Verum credo, quod Mezentius scripsit. Nam certum est, quod per Grimmam nostram et per ipsum forum meridie ipsa aperta facie, ita ut multis sit agnitus, quindecim equis profectus sit Dresdam uel a Dresda. Vbi id nostris ligneis Georgiis est indicatum, dicuntur respondisse, se prohibituros fuisse, si scissent. Et magnus quidam a Dresen dixerat in Grimma, mirari se, quod Princeps noster tam fastuosam insultationem istius Mezentii pateretur. Sed apparet, nos a Satana peti et domestica et forinseca perfidia. Nobilitas uult principari, et Principes opprimere, ut sint omnia mera seditio. Sed iucunda et pulchra sunt, quae tibi scribuntur de filia tua Hanna, quae peperit filiam alteram, ignara, sese esse praegnantem, donec uicina esset partui. Nos laeti et grati Deo risimus omnes suauiter. Saluam esse domum tuam ex literis Magdalenae tuae intelliges. Super his et aliis infinitis beneficiis Dei consolemur nos aduersus tot indignas contumelias et fu-

rias diaboli et hominum. Vale in Christo et salutа D. Pantanum et Sturmium. Ego sic mixtae ualetudinis coepi hodie resumptum in Genesi. Nimis enim uacat Theologia et friget te absente et Pomerano et me aegrotante. D. Iustus deambulatum abiens non est domi. D. Caspar solus est Theologus istis diebus. 2 Martii, 1539. *)

VII.

Philippo Melanchthoni.

Si inciderit ratio, ut Papistae uobis aliqua concedenda offerant, ut uicissim concedenda offeratis, habetis meum exemplum, ut omni genere humilitatis et modestiae respondeatis uidelicet, ea quae nostra sunt et in nostra potestate, non modo Caesari, sed cuicunque petenti propter pacem concedere parati sumus. Quae uero in potestate solius Dei, nec in ullius quidem Ecclesiae sunt, cuius summa est post Deum potestas et iudicium etiam Angelorum, possibile est, ab illis inique postulari, ut concedamus, sed nobis, imo angelis coelestibus est re ipsa impossibile. Et si concederemus, irritum esset, et Deo irascente concederentur. E contra si illi offerant concedenda, quae nec ipsorum nec in potestate ipsorum, sed quae in Dei solius potestate sunt, ut quae iam antea diuinitus decre-

*) I. H. a Seelen. Deliciae Epistolicae, p. 1.

ta accepimus et recuperauimus a raptoribus, contumelia Dei esset, fateri ea nunc tandem accipere ab eis concessa, quae nec habuere, ut nec habere, nisi sacrilegio rapta, potuerunt. Qua acceptatione confiteremur eos fuisse bonae spei possessores talium, et nos iniustos spoliatores, et nunc demum nos indulgentia eorum fore iustos usurpatores. Quo facto multis modis, et nominibus, et Ecclesiae imo uerbo Dei iniuriam faceremus, et nos turpissima ignominia, ut malefactores inde ab initio causae fuisse declararemus. Hunc Satanae morsum conterat in uobis semen illud benedictum mulieris.

Stet igitur topica illa fixa: nemo dat, quod non habet. Desinant illi iangiri impossibilia et non sua. Et nos caueamus concedere et accipere, neque nostra neque illorum de rebus, et donis Dei agnitis extra nos positis. Sed quid nisi quod delector repetere historiam meam Wormatiensem, cui similem uel somnio uel suspicor fore uestram, Amen. (m. Nov. 1540.) *)

VIII.

Philippo Melanchthoni.

Gratias ago, quod tam diligenter et fideliter scribitis omnia, gaudeo quoque inter uos tantam esse concordiam, id est, praesentem in uobis Spiri-

*) I. Westphali sent. Luth. de Adiaphoris plag. C. 6.

tum Christi. Caetera omnia fusque deque facio. Cadant quorsum Deus uoluerit. Satis est abunde bonorum nos in gratia et misericordia eius uiuere et mori, agere et pati. Hic tandem est finis, qui quaeritur in hac uita per omnes ab initio usque ad consummationem; benedictus Deus et pater D. N. I. C. qui perficiat opus suum, quod inchoat in nobis.

Ego neque de Caesare neque de Ferdinando quicquam boni spero, quia sanguis innocens, quo sunt manus illorum maculatae, clamat. Simulant fortasse aliquid aliud, quam re ipsa agunt, quodque etiam palam machinarentur, nisi quod oratione Ecclesiae ipsorum conatus uel impediuntur uel mitigantur interdum, sed hoc nihil ad pacem perpetuo futuram, donec animus nocendi cupidus non mutatur. Fiat uoluntas Dei, Amen. (m. Nov. 1540.) *)

IX.

Philippo Melanchthoni.

G. et P. Quod tibi, mi Philippe, scribo, omnibus uobis scribo, suspicor uos esse Schmalcaldiae, et eodem fato uti, quo ante triennium utebamur, quando tardissime literae nostrae Wittenbergam ueniebant. Proximas ex Vinaria datas accepimus, in quibus uideo, uos legisse Mezentii librum. Non-

*) I. Westphali sent. Luth. de Adiaphoris, plag. C. 6. b.

dum mihi uacauit, neque delector totum perlegere. Audio et ab aliis argumenta ab eo frigide dilui, ad conuitia conuersum esse totum. Sic enim hactenus fuit totius Papae mos, et ingenium, in personam meam furere, praeterita causa quam agerem. Quid possent aliud destituti conseientia, scientia, et sunt sine con et sci, nihil nisi entia? Filiola tua salua est, et tota domus, ut spero ex eius literis te intellecturum. Dominus spiritu suo certo sancto principali gubernet uos in causa sua, causam suam in uobis, Amen.

Hic laetantur homines capto Kolace seu Kolhusen cum duobus, sed haec credo uos iam scire, ita uolantibus equitibus ad uos, et haud dubie omnia certissima narrantibus. Ille strenuus Kolax, qui tot sanguinibus se onerauit (nam praedationis proni *) curarem) — — Ultra 40 enim dicunt periisse ex eius sodalitio. Quaestor noster dicit 14 esse supplicio affectos extremo, omnes ex eo numero, qui Marzan diripuerunt. Haec non credidissent futura scelerati homicidae illi, tam breui tempore, si quis eis nocte illa praedixisset. Ridiculum stratagema narrabo, quod mihi scribit ex N**) M.

---

*) parui.
**) Pirna.

Antonius, ſcilicet Mezentium illum, cum per Siſeſiam rediret, pernoctaſſe prope Budiſſam; deinde in oppido quodam Kalaw, et cum ſero ueniſſet pernoctaturus, quosdam nobiles ſuperueniſſe, qui finxerunt, ſeſe quaerere Hans Spiegel, et pernoctare. Pepegiſſe enim ſe iſthuc conuenturos ea nocte. Id cum ſentiret Mezentius, mox conſcenſis equis auolaſſe dicitur, formidans hoſpitii periculum. Der groſse Ferſenritter ergriff das Haaſen Panier gar bald. Riſum eſt et ab iis, qui hos ludos ſtruxerunt, et ab omnibus, qui audiunt. Vale et orate, ſicut facitis, et reſcribite eo ſaepius, quo tardius uenire ad nos literas ueſtras ſcitis. Albis noſter abierat ex aruis ſed heri et hodie reuerſus eſt. Mirum quid iſta perpetua inundatio uelit. f. 6. poſt Oculi (d. 5. Mart.), 1540.

Dominus meus Ketha uos reuerenter ſalutat, id uoluit omnino, ut ſcriberem, et gratias agit, quod me hic reliqueritis. Incipit ſuperbire in gloria redeuntis ualetudinis Dei gratia. Nondum ambulat, ſed plus tamen quam reptat. *)

---

*) VN. 1704. p. 825. et Tob. Eckhardi Codd. Msti. Quedlinburg. p. 89.

X.

Philippo Melanchthoni.

G. et P. Quod ſcribis, mi Philippe, Caeſarem polliceri colloquium priuatum, ſatis et ipſe admiror, quid ſibi uelit. Ego credo, Caeſarem eſſe incertum, quid potiſſimum praeſumat. Eſt illi opus pectore latebroſo inter tot uiperas capto, ut nec nobis, nec illis poſſit aperte ſatisfacere promiſſis certis. Cogito enim quid mihi eſſet faciendum, ſi eius loco eſſem captiuus, praeſertim rerum non admodum peritus. Orandus eſt Deus pro eo. Eſt utique non paruum monſtrum (miraculum) Dei, quod Caeſaris manum hactenus tot annis cohibuit, fruſtra furentibus, irritantibus, urgentibus, impellentibus Cardinalibus et Pontificibus, pro quo noſtrum eſt Deo gratias agere. Quicquid autem ſic fiet aut continget, oratione, quae eſt ſola omnipotens imperatrix in rebus humanis, omnia efficiemus, per hanc gubernabimus conſtituta, corrigemus errata, tolerabimus incorrigibilia; uincemus omnia mala, ſeruabimus omnia bona, ſicut hactenus fecimus, et experti ſumus uim orationis, de qua nihil ſciunt Papiſtae, homines reprobi et tot conſiliis fruſtrati: non uolunt, nec poſſunt reſipiſcere. Et uenit ira Dei ſuper eos in finem, qui manus ſuas ſanguine Chriſti et Chriſtianorum impleuerunt, imo

toti in sanguine sanctorum iam dudum sunt tanquam submersi. Nos etsi in carne peccati uiuimus miseri peccatores, tamen puri sumus a sanguine, imo odio habemus uiros sanguinum, et deum sanguinum, qui eos possedit et agitat. Scripsi haec tantum, ut responderem et testarer me literas uestras accepisse. Nam talia solemus familiariter colloqui, dum de rebus istis agimus. Denique spero uos in itinere accepturos alias literas esse. Omnia hic salua sunt Dei gratia, nisi quod uelim uos quamprimum, imo iamdudum rediisse. Iratus tum satis Meister Grickel, quem ante mortem meam cupio suis uirtutibus ornatum uobis relinquere. Vale in Domino. Saluta omnes meos, et dicito salua esse in domibus eorum omnia. Altera post ἔκλειψιν solis, quem in suo labore uidimus duas horas tristissimum ab hora 5 usque ad 7 fere. Auerte mala inimicis, Domine, et in nomine tuo saluos nos fac, Amen. Mea Ketha, quae perfecte restituta uos reuerentissime salutat, et maxime uos diligit ac propense amat. (1540.) *)

---

*) VN. 1722. p. 188.

XI.

Philippo Melanthoni.

Accepi gratissimas literas hodie Principis uocantis me domum, mi Philippe, et festino abire satur plus quam satis. Tamen cura, ut mihi occurrat nuntius, qui afferat modicum corrosiuae, qua crus meum aperiri solet. Nam pene totum sanatum est uulnus, quod quam periculosum sit, nosti. Namque hic non habetur eiusmodi corrosiua. Ketha mea nouit, quo loco in hypocausto positum sit hoc genus cantari iam necessarii.

Papa Paulus tertius tertio Ianuarii mortuus est et sepultus, id quod pro certo huc scribitur esse uerum. Episcopus Coloniensis uocat Comitem Albertum ad Comitia Comitum Northusium primo Martii, acturus ibi cum illis de rebus ad Comitem pertinentibus. Nam excludi sentit per N. Comites ex Episcopatu Coloniensi. Cetera Deo uolente coram breui. Nam me hic abrumpere uolo. Vale in Domino 14. Februarii, 1546. *)

---

*) Vid. Camerarii uita Melanchth. p. 451.

SECTIO POSTERIOR.

CONTINENS b. LUTHERI

AD

DIVERSOS DATAS EPISTOLAS.

L.

Spalatino.

S. Et charitatis et fidei officium abs te peto, dulcissime Spalatine, id est, ut uel Epistolarum Diui Hieronymi ad horam mihi copiam facias, uel certe quanto potes breuiter ex libello illustrium uirorum, quod magis cupio, mihi exscribas ea, quae ipse Sanctus de S. Bartholomaeo Apostolo scripsit, ita ut ante horam duodecimam habeam: facturus enim ad populum sermonem, nugis illis et mendaciis Catalogi et Legendae aureae miro modo offensus sum. Vale, optime frater, ex monasteriolo nostro. Nolo ut mireris quod Theologus sim, et Hieronymo uacuus sum. Editionem enim, qua communiter utebar, Iohannes Langus secum abstulit. (Sine dubio iam 1513. aut 1514. scripta est haec epistola.) *)

---

*) Hottinger. Hist. Eccl. T. VI. p. 756.

II.

Christoph. Scheurl.

S. Accepi litteras tuas, eruditiss. et humaniss. Christophore, mihi sane et iucundissimas et tristissimas. Quid contrahis frontem? Quid enim iucundius scribere potuisti, quam quod Reuer. Patrem, imo Christum in organo suo, Vicario nostro, tam dignis extulisti praeconiis? Nihil enim mihi gratius narratur, quam uocem Christi praedicari, audiri, suscipi, imo magis et uiui, et sentiri et intelligi. Rursum, quid potuisti amarius scribere, quam ut meam affectares amicitiam, et tot me uanissimis titulis honorares? Nolo te fieri amicum meum. Non enim ad gloriam, sed ad periculum tuum, cedet tibi amicitia mea, si modo uerum est prouerbium: amicorum omnia communia. Quodsi mea tua per amicitiam istam fiant, nulla re locupletior fies, quam peccatis, insipientia pariter et ignominia. Haec enim sunt res meae: quas in me contrariis titulis (ut dixi) ornasti. Sed scio, Christum sapis, et dices, non te, sed Christum in te, admiror. Hic ego: quomodo Christus iustitia uera esse poterit in peccatis et insipientia? Imo id ipsum est summum arrogantiae, praesumere de te, quod Christi habitaculum sis, nec nisi Apostolico ordini facile permittenda ista gloriatio. Igitur gratulor

quidem felicitati tuae, quod huius uiri, patris nostri, amicitiae et familiaritati iungeris. Sed parce honori tuo, et ne in mei amicitiam degeneres, rogo: quanquam ipse quoque idem Reuer. Pater non sine timore et periculo meo, me undique iactat et dicit, Christum in te praedico, et credere cogor. Sed dura ista fides. Ea enim est infelicitas huius miserrimae uitae, ut laudatores et amici, quo fuerint plures et coniunctiores, eo sint nocentiores, sicut scriptum est: inimici hominis domestici eius et rursus: qui me laudabant, aduersum me iurabant. Et amici mei et proximi mei aduersum me appropinquauerunt et steterunt. Tantum enim recedit fauor Dei, quantum accedit fauor hominum. Deus enim aut solus aut nullus uult esse amicus. Huic malo etiam cumulus iste accedit, quod si te deieceris, laudemque et fauorem recusaris, eo magis laus et fauor (i. e. periculum et perditio) insequitur. O multo salubrius odium et uituperium omnium laude et amore, quandoquidem odium solum (semel) periculum est, amor uero bis periculum est. Nihil similius amanti, imo amenti mulieri, quae negata furiosius concupiscit, quam laus et gloria ista temporalis. Ab hac itaque muliere adultera et praua uide, quanto studio me deterreat Salomon Prouerb. VII. et alibi,

quam alienam extraneam et adulescentium seductricem describit. Non haec scribo, mi optime Christophore, quod animum tuum integrum et beneuolum contemnere uelim, sed quod meo quoque animo timendum sit. Tu officium pii et christiani hominis praestas: qui nullum omnino contemnere debet, nisi tantum se ipsum. Sed oportet et me niti, ut tui similis sim Christianus, (si solida futura sit amicitia) i. e. contemtor mei. Neque enim ille Christianus est, qui homines propter eruditionem, uirtutem, sanctitatem, famam suspicit, (hoc n. et Ethnici atque nugaces poetae faciunt, sicut et nostro seculo nomina sua uocant) sed qui inopem, pauperem, stultum peccatorem et miserum diligit; sicut Psalmus dicit: Beatus, qui intelligit non super doctum, eruditum, sanctum, famatum, sed super egenum et pauperem. Denique Christus sibi factum confitetur, quicquid impensum fuerit minimis suis; cum posset dicere, maximis et sublimibus suis. Quoniam quod altum est apud homines, abominabile est apud Deum. Ad quam abominationem obsecro te per Christum Dominum nostrum, ne me adigas et cogas, si uelis esse amicus. Facies autem id quam facillime, si neque in faciem meam, neque aliorum, me ulla ex parte praedicaveris. Quodsi omnino Christum in me putaris laudandum esse, exprime et nomen eius, et

non meum. Vt quid res Christi nomine meo polluitur, imo suo fraudatur. Si de rebus nemo disserit, nisi propriis earum nominibus? cur res Christi sine nomine Christi praedicamus? Ecce uerbosum amicum tuum. Esto ergo patiens lector amicus. Vale in Christo, ex eremitorio Wittenbergensi 27 Ianuarii 1517. F. Martinus Luder, portio Eremitarum sectae S. Augustini.

III.

Christophoro Scheurlio, Consiliario Norimb.

S. Primum gratias ago, optime uir, de muneribus tuis, opusculis Staupitianis, sed doleo, meas ineptias per Reuerendum patrem apud uos diuulgari. Non enim Norimbergensibus, id est, delicatissimis et emunctissimis animabus, sed rudibus, ut nosti Saxonibus, quibus nulla uerbositate satis mandi et praemandi potest eruditio christiana, editae sunt. Sed nec, si quam maxime uellem, aliquid possem efficere, quod latinis auribus tolerabile fieret, quanto minus nunc, cum dedita opera uulgi tarditati seruire statuissem. Igitur te obsecro, ut e uirorum eruditorum conspectu eas submoueas, quantum potes. Caeterum, quod hortaris, scripsi, quanta potui, cura, ut familiariter

ſcriberem Ekkio noſtro; ſi peruenerint, neſcio. Has ſententias, quas uocant poſitiones, mitto ad te, et per te, patri Magiſtro Venceslao, et ſi qui alii ſunt, quos huius generis deliciae delectant. Sunt, niſi fallor, haec iam non Ciceronis paradoxa, ſed Carolſtadii noſtri, imo ſancti Auguſtini, Ciceronianis tanto mirabiliora et digniora, quanto Auguſtinus, imo Chriſtus, Cicerone dignior eſt. Arguent autem iſta paradoxa omnium eorum uel negligentiam uel ignorantiam, quibuscunque fuerint uiſa magis paradoxa quam orthodoxa: ne dicam de iis, quia ea potius cacodoxa impudenti temeritate iudicabunt, quoniam nec Auguſtinum nec Paulum legunt; aut ita legunt, ut non intelligant, ſeque et alios ſecum negligant. Sunt igitur paradoxa modeſtis, et qui non ea cognouerit, ſed eudoxa et caladoxa ſcientibus, mihi uero ariſtodoxa. Benedictus Deus, qui rurſum iubet de tenebris ſplendeſcere lumen. Reuer. patrem Vicarium ſuſpicor non eſſe apud uos; expectamus autem aduentum eius ad nos. Doctor Chillanus Reuther defunctus eſt uita mortali. Det Deus, ut fungatur aeterna, Amen. Salutat te Amsdorfius, et omnis amica ſodalitas. Salutamus uiciſſim per te omnes ſalutari meritos. Valè. Ex Wittenberga, ſexto Maii, 1517.*)

---

*) C. G. Schwarzii Progr. XXIV. p. 6.

IV.

Christophoro Scheurl.

S. Etsi mihi nulla, dulcissime Christophore, ad te fuit scribendi occasio, quae digna uideretur, ut ad te talemque uirum scriberem, ea tamen fuit satis mihi magna, quod sepositis interim dignitatum tuarum titulis, quibus dignissimis ornaris, ad amicum scriberem, ad eum sane amicum, qui est purus et integerrimus atque humanissimus, et quod maxime ad rem pertinet, qui recenter et cognitus et inuentus est. Igitur si usquam silentium uitio uertendum est, amici ad amicum silentium potissimum tale arbitrandum. Quandoquidem et ineptire et nugari non segnius, quam serio agere, amicitiam foueat, ne dicam, perficiat. Imo et id ipsum a suo amico extorquet Diuus Hieronymus, scribere scilicet, quod nihil scribendum habeat. Quare et mihi modo consilium fuit ineptire malle apud amicum, quam silere. Quanquam, bone Deus, quando unquam scribit frater ille Martinus, falso uocatus Theologus, in quo non ineptiat, qui inter stridores et sartagines syllogismorum adeo nihil profecit in his, quae ad cultum linguae pertinent, ut, etiamsi quicquam unquam gustauerit eruditionis uel eloquentiae, totum id ad infantiam et balbutiem redegerit longissimus ille et assiduus scribendi usus.

Sed iam ſatis ſuperque praefationum, ne uolumen potius quam epiſtolam ſcribere, hoc eſt, etiam ineptiendo ineptire, et bis deſipere uidear, cum ſemel deſipuiſſe nimium ſit theologo. Finis epiſtolae eſt, ut intelligas, quam egregiam de te tuaque fide opinionem conceperim. Non quod expoſtulem uicem in me tuam, quam certiſſimus mihi poſſidere uideor, ſed tantum, ut non minora tibi de me quam tu de te ipſo tibi polliceri poſſis, perſuadeas.

At ecce interim mihi in mentem uenit, quod mihi Opuſcula Reu. patris Vicarii per Vdalricum iſtum Pindarum ferme pro 2 aureis miſiſti, quae ego ſane partim uendidi, partim bonis amicis Reu. patris gratis dedi; de uenditis uero pecuniam, quam conflaui, pauperibus, ut iuſſiſti, id eſt, mihi ipſi et fratribus impendi, pauperiorem enim me ipſo nondum ſatis cognoui. Caeterum rogo, ſi poteſt fieri, eodem tuo iuſſu mihi iidem libelli mittantur, pro floreno, quem illis uenditis tibi rependam fideliter. Sunt enim, qui expetant et expectent eosdem libellos. Mitto inſuper poſitiones noſtras, prorſus paradoxas, et prout multis uidetur, Kaciſtodoxas, quas poteris Eccio noſtro eruditiſſimo et ingenioſiſſimo uiro exhibere, ut audiam et uideam, quid uocet illas. Salutant te et optime tui memores ſunt multi, inprimis Licentiatus Ams-

dorff, Doct. Hieronymus, et nonnulla pars amicitiae tuae, Petrus Barbitonsor ille. Vale et ora pro me. Ex Wittenb. 11. Sept. 1517. *)

V.

Christophoro Scheurl.

Sal. Literae tuae, quas III. Nonas Nouemb. ad me dedisti, uir eruditissime et humanissime, animum tuum erga nostros et meam paruitatem mirifice candidum et longe ultra merita beneuolentissimum probauerunt. Sed et ipsae literae animi tui certissima imago nihil aliud erant, quam candor, nihil aliud nunciauerunt, quam candidum. Gaudeo et gratias ago Domino Iesu, quod tui Nurnbergenses, inprimis optimates, Reu. Vicarium, deinde felicem, ut scribis, eius aemulum, Wenceslaum nostrum, adeo colunt, adeoque obseruant, neque hoc ipsum faciunt, ullo intuitu carnis aut respectu personarum, ut solet uulgus gregarium, sed iusto amore scientiae salutaris, et studio uerbi gratiae. Confirmet, oro, hoc opus suum Dominus, quod incepit, atque perficiat usque in finem Amen.

Caeterum quod secundo hortaris, ut studia mea honorem, et ad D. Hieronymum Ebnerum, Mode-

*) C. G. Schwarzii Progr. XXIV. p. 7.

ratorem inclytae urbis uestrae, aliquid ex officina mea producam (si quidem non meis studiis nomen illius honestare possum, sed potius nomen eius studia mea) nimium de me confidis atque praesumis, non deest quidem mihi uotum et studium summe illi obsequendi et tibi gratificandi, sed non opis est nostrae, nec tali me dignor honore. Tu quidem egregiam geris opinionem de studiis meis, sed ego abiectissimam. Et quanquam animi tui fidem integerrimam credere debeam, tamen multo magis uires meas ipse ponderare teneor, imo ut tibi simpliciter confitear, coepi tuis monitis uelle obsequi, et iam disquirebam, quidnam aggrederer potissimum? Et ecce in uniuersa supellectile mea (quam nunquam tam curtam agnoui) quicquid occurrebat, sordebat, et indignissimum apparebat, quod tali ac tanto uiro a me tantillo dedicaretur. Non solum enim me prohibebat insignis inscitia, qua nihil mihi scire uidebar, sed et altera scilicet ineloquentia, qua non possem ea, si qua etiam dignissima scirem, digne proferre; quanquam minoris facio illud damnum, si quis bonum uinum uili uasculo propinet, quam id, si quis pretiosissimo uasculo aquam turbidam propinet. Itaque te rogo, ut ueniam mihi concedas uel meritissimo, atque deinceps tibi a laudibus mei temperes. Narrauit mihi familiaris tuus literarum portitor, te denuo

humanitatis officio ad me per Erfordiam dediſſe libellos de praedeſtinatione, quos nondum accepi, ſed non dubito accepturum; idcirco gratias ago, et ſi qua potero, Vicarius ero uel apud Deum. Vale, mi ſuauiſſime Chriſtophore, in Domino. Ex Wittenb. 11. Decemb. 1517. *)

VI.

Chriſtophoro Scheurl.

Sal. Binas ex te literas accepi, optime et eruditiſſime Chriſtophore, alteras latinas, alteras uernaculas, ſimul et donum inſignis uiri, Alberti Durer, item poſitiones meas latinas et uulgares. Primum quod miraris, cur non ad uos eas miſerim, reſpondeo, quod non fuit conſilium, neque uotum, eas euulgari, ſed cum paucis apud et circum nos habitantibus primum ſuper ipſis conferri, ut ſic multorum iudicio uel damnatae abolerentur, uel probatae ederentur. At nunc longe ultra ſpem toties excuduntur et transferuntur, ut me poeniteat huius foeturae, non, quod ueritatem non faueam cognitam fieri uulgo, imo id unice quaerebam, ſed quod ille modus non eſt idoneus, quo uulgus erudiatur. Sunt enim nonnulla mihi ipſi dubia, longeque aliter et certius quaedam aſſeruiſſem uel omiſiſſem, ſi id futurum ſperaſſem. Quanquam ſat in-

*) C. G. Schwarzii Progr. XXIV. p. 9.

telligo ex ea euulgatione, quaenam sit opinio indulgentiarum passim apud omnes, licet occulta, propter metum scilicet Iudaeorum. Ita probationes earum coactus sum parare, quas tamen nondum licuit edere, quia Reuerendus et Gratiosus Dominus Episcopus Brandeburgensis, cuius iudicium consului in hac re multum impeditus tamdiu me retardat, imo si otium dederit Dominus, cupio libellum uernacula edere de uirtute indulgentiarum, ut opprimam positiones illas uagantissimas. Mihi sane non est dubium decipi populum, non per indulgentias, sed usum earum. Mittam igitur, quamprimum fuerint absolutae. Interim rogo, commendes me optimo uiro, Alberto Durer, et gratum ac memorem ei me nunties. Verum id abs te et ab eo peto, ut iniquissimam opinionem mei ponatis, nec maiora de me sentiatis, quám ego praestare possum; possum uero et sum nihil penitissime, quotidieque magis nihil fio.

Dedi nuper literas ad D. Ioh. Eccium, et uos omnes, sed non sentio eas peruenisse. Quam uellem denuo apud uos excudi libellum de charitate Reu. patris Vicarii nostri editum recentissime, et Monaci declamatum; nos enim esurimus et sitimus ualde. Vale in Domino, Witteb. 5 Martii, 1518. *)

---

*) C. G. Schwarzii Progr. XXIV. p. 10.

VII.

Christophoro Scheurlio.

S. Id quod pro Ekkio nostro, mi suauissime Christophore, petis, fuisset nullo modo necessarium peti a tanto amico, si res integra fuisset, et te praeuenisset literis suis ipse. Auxit enim et mihi uehementer suspicionem alienati a me animi Ekkiani, qui post tam dira in me nomina, licet priuatim, scripta, nihil neque literarum neque uerborum me participem fecit. At cum iam sint edita Carlstadii nostri problemata, me quidem et inuito et ignaro, non est mihi satis consilii, quid utrisque ipsis sit faciendum. Scio, quod diligimus hominis ingenium, et admiramur eruditionem, et quod factum est, dolore potius, quam ira aut inuidia factum esse, mihi quidem et conscius sum et testor. Quod ad me attinet, scripsi ad eum ipsum, has, ut uides, amicissimas et plenas literas humanitate erga eum, non tamen tua causa, sed et ipsius quoque ingenua confessione sum placatissimus, qua sibi licet non mihi displicere scribit, euentum hunc uel dolo uel malitia aliena contigisse. Igitur mei quidem potestatem in hac re habes, habet et ille. Vnum solum tui fuerit officii, curare, ne asperius respondeat nostro Carlstadio, cogitetque, suam esse culpam priorem, ut haec fierent inter amicos mala,

Nam mihi, credo, cum priuatim dederim asteriscos meos, non fit ei respondendi necessitas, si desit libido. Sin malit reddere, ego utrumque expecto, licet pacem prae eligam. Agite ergo, ut intelligamus, uos nobiscum dolere, hanc tentationem a diabolo fuisse inceptam, rursum autem gaudere, a Christo miserante esse expugnatam sedatamque. Vale. Dedi antea quoque ad te literas, sed uideo, nondum peruenisse. Wittemb. die Viti et Modesti, (d. 15. Iunii 1518.)*)

VIII.

Joanni Eccio.

Placet, mi Ioannes Ekki, Domino Andreae (Carlstadio) id quod pacti sumus Augustae, ut uel Lipsiae uel Erfordiae conueniatis, et pro ueritatis inuentione honeste disceptetis: ut fiat finis contentionis et librorum scribendorum: petit itaque ut diem ipse tu praefigas, quo necesse sit conuenire, simul et locum, utrum ex his duobus, nam tibi praefixisset: sed deferendum tibi putauit propter itineris tui longioris laborem, et forte maiores tuas occupationes, itaque fac, ut non frustra hominem permouerim: imo ut frustra aduersarii sperent Theologos semper sibi pugnaturos, et nunquam conuen-

*) C. G. Schwarzii Progr. XXIV. p. 12.

turos. Vale, breuissime et inter diuersissimas occupationes secunda feria post Martini (d. 12. Nou.) 1518. *)

IX.

Johanni Reuchlino.

Dominus tecum uir fortissime. Gratulor misericordiae Dei, quae in te est, uir et eruditissime et humanissime, qua tandem praeualuisti obstruere os loquentium iniqua. Fuisti tu sane organum consilii diuini, sicut tibi ipsi incognitum, ita omnibus purae theologiae studiosis expectatissimum, adeo longe alia fiebant a Deo, et alia uidebantur geri per uos. Eram ego unus eorum, qui tecum esse cupiebant, sed nulla dabatur occasio. Eram tamen oratione et uoto tibi semper praesentissimus. Sed quod tunc negatum est socio, nunc cumulatissime tributum est successori. Inuadunt dentes istius Behemoth me, si quo modo sarcire queant ignominiam, quam retulerunt ex te. Occurro et ego ipsis longe quidem minoribus ingenii et eruditionis uiribus, quam tu occurristi et prostrauisti, sed non minore animi fiducia. Congredi mihi detrectant, respondere recusant, sed mera ui et uiolentia in me uiam affectant. Viuit uero Christus, et ego perdere nihil possum, quia nihil habeo. Fracta sunt

*) Loescheri Ref. Doc. P. III. p. 203.

in tua firmitate non parum quidem cornua horum taurorum. Hoc enim in te egit Dominus, ut tyrannus ſophiſtarum aliquando et tardius et mitius diſceret ueris theologiae ſtudiis reſiſtere, ac reſpirare inciperet Germania, ſcripturarum doctrina tot heu annorum centenariis, non tam oppreſſa, quam extincta. Non erant haec initia danda pulcherrimorum ſtudiorum per hominem paruae gratiae; ſed ſicut Chriſtum (ſit uenia comparationi) omnium maximum montem Deus contriuit usque in puluerem mortis, uerum ex hoc puluere poſtea excreuerunt tot magni montes, ita et tu parum attuliſſes fructus, niſi mortificatus in puluerem fuiſſes redactus, unde nunc tot ſurgunt proceres litterarum ſacrarum. Et exaudita eſt oratio gementis Eccleſiae. Saluum me fac Domine, quoniam defecit ſanctus, diminuti ſunt fideles de filiis hominum. Quoniam exaltati fuerunt ad altitudines Dei uiliſſimi filiorum hominum. Sed ecce nonne ego impudens, qui tam familiariter ſine prooemio honoris tecum loquor? Verum facit hoc animus meus in te officioſiſſimus, qui et tibi eſt familiariſſimus tum memoria tui, tum librorum tuorum meditatione. Accedit ad hoc, quod et permouit, ut tandem ſcriberem, quod Philippus noſter Melanchthon, homo admirabilis, imo pene nihil habens, quod non ſupra hominem

ſit,

sit, familiarissimus tamen et amicissimus mihi, omnino exegit has literas ad te: fidem iubens, certissime te non aegre laturum, sed et gratum habiturum, quicquid ad te ineptirem. Huic ego imputes uelim, si quid imputare uelis, nisi quod animum meum erga te non nisi candidissimum his literis protestari uolui. Vale et gaude in Domino, Praeceptor uere mihi uenerabilis. Wittemb. altera die Luciae (14. Decemb.) 1518. *)

X.

Christophoro Scheurl.

S. Furatus ipse mihi et negotiis meis horam hanc, scribo tandem, ne tot literis tuis ingratus uidear, et nunquam respondere uelim. Igitur gratias tibi ago maximas pro genuinae tuae ac uerae amicitiae consilio et in me studio. Libenter autem ego finem haberem huius turbulentiae, si aduersariis identidem uideri daretur. Proposuerunt enim, ut uideo, rem nulla suauitate, sed mera ui et tumultu consummare. Quo fit, ut in dies maiora suscitent, et frustra laborent. Nam ui numquam sopietur, sat scio. In bonitate cito finem haberet.

*) Maii Vita Reuchlini p. 223. Loescheri Acta et Documenta Reform. P. II. p. 643. Seckendorf. Hist. Lutheranismi L. I. p. 104.

Ad Sylueſtri nugas, ſi tamen Sylueſtri ſunt, reſpondere nobis indigniſſimum uidetur. Puerilia et muliebria ſunt, nec aliud, niſi queremoniae ſui doloris. Cum Carolo amiciſſime conueni, primum, ut haec res omnino ſileatur utrinque, deinde mandato ſummi Pontificis aliquis Germaniae Epiſcopus articulos erroneos mihi deſignet, quos reuocem. Sed niſi Deus interſit, nihil fiet, praeſertim ſi me decretali illa noua coeperint urgere, quam nec dum uidi, audiui tamen, eam de plenitudine poteſtatis loqui ſine ulla autoritate ſcripturae aut canonum, quanquam certe nulli etiam uetuſtiſſimo decreto concedam. Quis ſcit, quid Deus ex iis monſtris alere propoſuerit. Ego, quantum in me eſt, nec timeo nec cupio protelari cauſam. Sunt adhuc multa, quae Romanam lernam mouere poſſunt, quae libens promam, ſi permittant. Sin Deus non uolet, ut permittant, fiat uoluntas Domini. Ebnerios patronos ex corde ualere cupio, et gratias pro accepta caſula ago. Nurmbergenſes tuos ſpero uotis ueſtris reſponſuros quam optime, cum et ſub optimis agant praeceptoribus, et lectionibus interſint electiſſimis. Vale in Domino, et iacta curam tuam et mei in Dominum, ne nimio pro me angaris. 13. Januar. 1519. *)

*) C. G. Schwarzii Progr. XXIV. p. 13.

XI.

Christophoro Scheurl.

Sal. Ipse me satis accuso, Doctor optime, quod toties ex te salutatus, rarius ad te scribo. Rursum autem excuso, quod tot fere monstris negotiorum distrahor. Gratissimus mihi fuit eruditissimus ille Dialogus Iulii et Petri. Multam sane continet frugem, si serio legatur. Doleo, eum non fieri in urbe celebrem; prope ausim optare eius inuulgationem, quandoquidem Rom. curiae non tam reuelat ipse primus, quam confirmat iam diu ubique heu cognita, ut uel eiusmodi nugis Romani proceres monerentur suae tyrannidis et impiissimae temeritatis, quas uident traduci per orbem. Eccius noster hucusque insaniam suam in me pulchre dissimulans tandem manifestauit. Vide, quid sit homo. Sed Deus in medio Deorum. Ipse nouit, quid ex ea tragoedia deducere uoluerit. Nec Eccius sibi, nec ego mihi in hac quicquam seruiemus. Dei consilium agi mihi uidetur. Saepius dixi, hucusque lusum esse a me, nunc tandem seria in Romanum Pontificem et arrogantiam rom. agentur. Vdalricum nostrum Pindarum hominem mire probum et doctum tibi purissime commendo. Tu et ipsius quoque causam, quod conterraneus tuus est,

Dominis Senatoribus commendabis, si qua dignentur eum munificentiae suae aliquo officio. Audimus, Sueuici foederis proceres aduersus Principem Wirtenberg, consurrexisse. Initia malorum. Deus arguat nos non in furore, sed corripiat in misericordia, Amen. Saluta omnes nostros. Vale in Domino. Wittenb. 20 Febr. 1519. *)

XII.

Spalatino.

Primo mihi mandata dedit (Miltitius) salutem suo nomine dicerem Illustrissimo Principi nostro. Secundo, salutem quoque tibi eodem nomine dicerem. Tertio, an pacto, quod Altenburgi placuerit, Archiepiscopo Treuirensi starem. Respondi, utique. At hic ultimus actus fabulae. In fine his dictis commissionem apostolicam sese expediuisse aiebat, profecturumque se mox domum, noluisse se discedere, nisi hanc commissionem in ore meoum tractasset. (m. Octob. 1519.) **)

Vice chori ***) tandem lusimus de potestate Papae, in quo conuenimus, Papam non habere iure diuino eam potestatem, quam modo habet, aliam tamen

---

*) C. G. Schwarzii Progr. XXIV. p. 14.
**) Seckendorf. Hist. Luth. L. I. p. 63.
***) quo scilicet scenae finiuntur.

commissionem à caeteris Apostolis, quae cum a me quaereretur, quomodo aliud a potestate esset? dixit: eandem tamen esse, nisi quod in aliam partem orbis Petro tradita. O wir wolten der Sachen bald eins werden.

XIII.

Iohanni, Duci Saxoniae.

Iam pridem non inuitus Gr. T. et obsequia et officia merce ecclesiastica mea humilitate digna probassem, nisi meam inopiam emensus semper minorem inuenissem, quam ut promittere sibi posset inuenturam, quod illustri gratia tua non indignum esset. Caeterum quando Clementiss. Princeps et Dominus meus Fridericus, Dux Saxoniae, S. R. I. Archimarscalcus, Elector et Prorex, Lantgrauius Duringiae, et Marchio Misniae, frater Ill. Gr. tuae germanus, opusculum meum nihili suae Illustr. Gratiae nuncupatim dedicatum, non solum non contemsit, verum etiam clementer excepit, posthac quod non putassem fore, typis excusum, sumsi animum ex tam gratioso exemplo persuadens mihi, ut sicut principalis sanguis, ita et principalis mens in beneuolentia et mansuetudine clementi et gratiosa consimilis et concors esset, sperauique pro gentilitia ista comitate et gratia Ill. Gratiae tuae meam quantacunque est, paupertatem non futuram contemtui. Siquidem quicquid hoc est opusculi fortasse ma-

gis necessarium fuit editu, quam aliquid meorum, uel opusculorum uel sermonum, postquam orta est maxima omnium interrogationum de bonis operibus. In quibus sicut innumerabiliter plures et doli mali et fraudes, quam in ullis fiunt creaturis, ita imperitus et simplex homo adeo facile decipitur, ut Christus saluator noster nobis praeceperit, attendendum esse a falsis prophetis, qui ad nos ueniunt in uestimentis ouium, intus alentes lupos rapaces. Neque enim uel argentum, uel aurum, uel gemmae, uel ulla res pretiosa tam multipliciter adulterari possunt, quam bona opera. Ut quae necesse sit habere unam eandemque simplicem bonitatem, sine qua nihil nisi meri colores, offuciae et doli sint. Quamuis autem multos sciam, et quotidie audiam, qui meam inopiam contemnant, dicentes, me nihil nisi paruos condere sexterniones, et conciones germanicas pro vulgo profano, et laicis, nihil tamen id me mouet. Optarim enim me omni meo aeuo, omnibus meis uiribus, uel unico subseruiisse laico pro sua salute, eo contentus, Deo gratias agerem, tum quam libentissime permittens omnia mea perire opuscula. Nam an magnos et multos libros condere artificiosum, et reip. Christianae sit conducibile, aliorum esto iudicium. Ego uero in eo sum, ut si pro arte illorum mihi liberet ingentes exarare libros, fortasse Deo adiuuante

mihi felicius id cessurum, quam ipsis meo more uel minutum aliquem sermonem contexere. Si enim tam facile esset adsequi quam persequi, iam diu Christus denuo esset e coelo eiectus, et sedes Dei subuersa. Si non licet omnibus fingere, licebit saltem omnibus iudicare. Equidem unicuique ex animo libenter magnarum rerum gloriam permiserim, nihil minus quam ut laicis germanice et scribam et concioner erubescens. Quanquam uel hoc ipsum quoque mediocriter callens mihi tamen persuadeo, si fuisset hactenus et deinceps esset id genus docendi frequentius, christianae fidei multo plus inde fuisse accessurum incrementi, quam ex sublimibus et magnis codicibus et quaestionibus in scholis a doctis duntaxat tractatis. Ad haec neminem unquam mortalium uel coegi uel rogaui, ut uel me audiret, uel sermones meos legeret. Ego libere seruiui in publicum ex munere diuinitus accepto. Qui hoc nolet, et legat et audiat alios. Neque multum retulerit, si me indigere nolint. Mihi enim satis, imo plus quam satis fuerit, nonnullos laicorum, eosque praestantissimos sese ita demittere, ut meas conciones legant. Quod si nulla me alia causa mouere posset, haec certe mihi locupletissima fuerit, Ill. Gratiae tuae huiusmodi opuscula germanica placere, eamque cupidissimam esse intelligendi notionem ut bonorum operum, ita fidei.

Cui merito conueniebat ſupplicíter me ſubſeruire. Quapropter humiliter obſecro Ill. Gratiam tuam, ut hoc quantulumcunque eſt opuſculi gratioſo excipiat animo, donec diuino munere nactus otium fidei uim lucúlentius enarrem. In praeſentiarum enim hoc uolui docere, quemadmodum fide in omnibus bonis operibus uti debeamus, eique concedamus, ut praeſtantiſſimum ſit omnium operum. Deo igitur largiente alias fidem per ſe tractabo, commonſtraturus quo modo quotidie eam orare ſiue dicere nos deceat. Ita Ill. Gratiae tuae me commendo. Datum Wittemb. die 29. Martii 1520. *)

XIV.

Johanni Thurzoni, Epiſcopo Vratislauienſi.

Quanquam ego, Reuerendiſſime Praeſul, rationem meae paruitatis habens, ut ad omnes alios magnates, ita ad tuam magnitudinem praecipue timidus ſcribo, animum ſed (tamen) erexit uenerabilis Dominicus Schleupner R. P. T. addictiſſimus, qui hinc pietate, qua in ſuum Epiſcopum affectus eſt, ſoluit, uiſurus, quid Dominus operetur in mortali corpuſculo P. T. Noluit autem ſine literis meis ire, perſuadens me rem facturum non

*) Dedic. libri Lutheri: De bonis Operibus, Witt. 1521. 4.

ingratam R. P. T. Ego ſane fateor, et me nonnihil, imo multum cum R. P. T. aegreſcere, quod eccleſiae Dei compatior, cui proh dolor raro dantur, qualem T. P. R. dedit, Epiſcopum, cum nunquam magis eguerit talibus. Caeterum confido, quod manus eius percutiet et ſanabit, atque qui R. P. T. tam inſignibus ornauit dotibus, non deerit, ut det uirtutem fortitudinemque omnia conſtanti, chriſtiano, Epiſcopalique animo ferendi et ſtandi in omnes ſanctas uoluntates eius. Si uita negabitur Eccleſiae proſit mors. Potens autem eſt tam ex uita, quam ex morte P. T. Eccleſiam ſuam iuuare, pro diuitiis bonae uoluntatis eius. Non hoc ſcribo, quod neceſſarium arbitrer, animum tuum confortari in Domino (quanquam quis eſt tam fortis, qui non egeat uel minimi fratris ſolatio!) ſed quod communia nobis omnia uoluit et fecit is, qui pro nobis omnia factus iuſſit, ut alter alterius onera portaret, ne ullus fidelis ſuus ſolus uiueret, aut ſolus moreretur: ſed in communione ſanctorum ſecurus per omnia ageret et pateretur. Itaque quantum nos contriſtat communis paternitatis tuae aegritudo, aut, ſi Dominus uolet, etiam futura mors, tantum nos rurſus laetificat, quod nec ſola patitur, nec ſola uiuit anima tua, ſed uiuimus et patimur cum illa, et cum omnibus Jesus Chriſtus, medium cordis noſtri, in quo ſancte ualeat R. P. T. et meae te-

meritati ignoſcat. Literae enim priores P. T. R. animoſum me fecerunt, cum ſint magnae humilitatis et charitatis, ut eruditionem taceam, pleniſſimae, et inter ſacra mea perpetuo monumenta ſeruandae. Iterum ualeat R. P. T. in Chriſto et me commendatum habeat. Witteb. 3 Cal. Aug. 1520. *)

XV.

Carolo V. Imperatori Rom.

G. et P. a Domino noſtro Ieſu Chriſto. Quod Sereniſſimam Maieſtatem tuam, optime Imperator Carole Caeſ. audeo literis adire, nemo non optimo iure mirabitur. Quid enim inſolentius uideri poteſt, quam regem regum ac dominum dominantium a uili et infimae ſortis homuncione compellari? uerum minus mirabitur, quisquis cauſae magnitudinem contemplatus de euangelica ueritate agi intellexerit, quae cum digna ſit etiam coeleſtis maieſtatis thronum accedere, non indigna uideri debet, quae terrenum Principem conueniat. Accedit, quod terrenos Principes, ut ſunt imagines coele-

*) VN. 1734. p. 713. et in Herm. von der Hardt Hiſt. litter. Reform. P. V. p. 33. quibus ſubiectae ſunt Melanchthonis litterae ad eundem Epiſcopum.

ſtis, ita decet illum imitari, ut et ipſi in altis habitent, humilia tamen reſpiciant in terra, et ſuſcitent de terra inopem, et de ſtercore erigant pauperem. Venio itaque inops et pauper ante pedes Seren. Maj. T. proſtratus, indigniſſimus, digniſſimam tamen cauſam producturus. Editi ſunt a me libelli quidam, quibus multorum et magnorum mihi conflaui inuidiam et indignationem, ubi duplici tutus eſſe praeſidio debui. Primum quod inuitus in publicum ueni, nec niſi aliorum ui et inſidiis proditus ſcripſi, quicquid ſcripſi, nihil unquam ardentioribus uotis expetens, quam ut in angulo meo laterem. Deinde quod teſte mea conſcientia et optimorum uirorum iudicio non niſi euangelicam ueritatem ſtudui euulgare aduerſus ſuperſtitioſas humanae traditionis opiniones, atque ob hanc iam in tertium usque annum patior ſine fine iras, contumelias, pericula, et quicquid mali poſſunt excogitare mali. Fruſtra interim ſilentium offero, fruſtra pacis conditiones propono, fruſtra erudiri meliora poſtulo. Unum eſt, quod in me paratur tantum, ut extinguar cum uniuerſo euangelio. Iam cum omnia fruſtra tentarim, uiſum eſt tandem, exemplo diui Athanaſii Imperatoriam Maieſtatem inuocare, ſi forte Dominus dignetur per eam ſuae cauſae adeſſe. Quare Sereniſſimae Maieſtati Tuae, Carole Princeps Regum terrae, ſuppli-

citer procumbens, supplico, dignetur non me, sed causam ipsam ueritatis, ob quam tibi solam datum est gladium gestare, in uindictam malorum, laudem uero bonorum, sub umbram alarum tuarum suscipere, et me in illa non amplius nec longius tueri, quam donec reddita ratione aut uicero, aut uictus fuero. Nolo defendi, si impius et haereticus inuentus fuero. Vnum peto, ne damnetur siue ueritas, siue falsitas inaudita et inconuulsa. Christo fasces tot regnorum Serenissima Maiestas tua debet. Is hoc reposcit gratiae, ut ueritatem eadem Serenissima Maiestas tua tueatur. Hoc potissimum Imperii tui ornamentum, hoc saeculi tui memorabile decus erit, si non patiatur Sacratissima Maiestas tua, ut impius conculcet et deuoret iustiorem se, et sit facies hominis, ut Propheta ait, quasi pisces maris, et quasi reptilia non habentia ducem, dum fit iudicium et contradictio potentiorum.

Ita me commendo, ita confido, ita spero in tuam Sacratissimam Majestatem. Quam Dominus Iesus nobis seruet et magnificet ad gloriam Euangelii sui sempiternam, Amen. Datum Wittembergae, die penultima Augusti, 1520. *)

---

*) Fabricii Centifol. P. I. p. 68.

XVI.

Gunthero de Bünau, Canonico Merseburg.

S. Ingentis tuae in me fidei, uir optime, literas cum gaudio et miraculo legi. Quid enim non mentitur uirulentus ille serpens antiquus? De disputatione sic habet: Praesidebat Carlstadius, ego cum caeteris more solito arguebam. Erat tum quaestio: An Christus in passione etiam reluctatus fuisset uoluntati patris. Petiuit enim auferri calicem, quod utique est nolle et reluctari, deinde profert argumentum, ut nolens possit dici odiens et rebellis. Quae ut negabantur, ita nec probabantur. Nihil enim assertum est, sed tantum controuersum familiariter. Quanta quaeso solemus dicere argumentantes etiam in sententias catholicas? Nonne etiam articulos fidei solemus impugnare? quid ergo insaniunt illi hodie mendaciis suis, dicentes, me asseruisse, cum argumentandi ritu oppugnarem duntaxat, nihil asserens, imo palam confitens, me non intelligere omnia mysteria passionis Christi? Nescio, an simul illud Apostoli tractauerimus; eum qui non nouit peccatum, fecit peccatum. Et alia quaedam, quae Christo peccatum, maledictum, desperationem tribuunt, qualia solet Paulus et Prophetae, quae cum nondum capiamus, iustum est, ut nihil adseramus. Ego plane de ista materia do-

lorum Christi nihil unquam publice disputaui, sic nec scio praeter id argumenti, quod supra dixi. Si quis aliud de me dixerit, poteris constanter eum mendacii arguere teste uel toto auditorio nostro. Desinant itaque uirulenti argumentantem criminari, aut suum Thomam qui omnia Christiana impugnat, arguendo pro et contra, prius damnent. An uolent nos capere, ne liceat disputandi ritu et discendi gratia articulos fidei impugnare? Pudet me per ista commenta nihili uel te unum sic commoueri. Sed habes factum et mentem meam. De Eccio nihil adhuc scio, nisi uenisse eum barbatum, bullatum, nummatum. Det Dominus, ut unus sit articulorum damnatorum. Saccum Mendicantium nullum esse, optandum. Ridebo et ego bullam siue ampullam. Mitto Marferium. Dominus conseruet te in aeternum, Amen. Vale Vitteb. die Venceslai (28. Sept.) 1520. *)

XVII.

Fabiano Foelici (Feilitsch) Equiti Germano.

Quod saepius sum antea testatus, Fabiane foelix, imo foelicissime, esse et in laicis spiritum iudicii et ardoris, ut cum Iesaia dicam, uel tu ma-

*) VN. 1708. p. 465.

xime euincis et declaras, qui de re christiana, quam ualeas, pure, argute, pie, foeliciterque et iudicare et differere, cum essemus Philippus meus et ego coram Eylenburgae, quam egregium specimen ostendisti, neque dubito in hac aula esse aemulos tibi quam plurimos, ita ut gaudeam plane, uidens admirabile Dei consilium et iudicium, quo cum peruersis peruertitur et cum electis electus fit. Nos enim qui de clero Domini sumus, et quos laicorum oportuit esse Magistros, dum auersi dorsum dedimus Christo et euangelio eius, eadem mensura et ipse nobis dorsum uertit ut sicut eum nos prouocamus in eo quod non est Deus, et in uerbo, quod non est euangelium, ita rursus ipse nos prouocat in iis, qui non sunt clerici, et in iis, qui non sunt Magistri, laicis uidelicet puram tribuens sui notitiam, nobis relinquens stultas nostras et impias opiniones: iustus es Domine et rectum iudicium tuum. Cum ergo hactenus multa et scripserim et dixerim, nescius tantam esse in pastoribus Israel coecitatem, nihil merui tamen, nisi ut detraherent mihi, pro eo, ut me diligerent, et pro bono redderent malum, donec eo usque in suam ipsorum salutem insanirent, ut libellos meos publice damnarent et exurerent Coloniae et Louanii. Nam ii prae caeteris habent zelum Dei, sed non secundum scientiam. In qua re tantum abest,

ut moneat, ut me uehementer misereat coecitatis et perditionis illorum, imo et puerilis stultitiae. Quid enim facilius est, quam libros, quos redarguere non possis, exurere? Exussit impius rex Ioakim libros Hieremiae prophetae, sed non in hoc iustificabatur. Verum, ut dixi, pertinet et hoc ad peruersitatem nostram et sensum reprobum, in quem nos tradit Deus, ut clerici ueritatem damnemus, quam laici amplectuntur, et fiant sacerdotes, qui sacerdotes non sunt, laici, qui laici non sunt. Quare uisum est, deinceps ad uos laicos nouum genus clericorum scribere, et sub nominis tui foelicitate (quod Deus faxit) foeliciter ordiri, asserturus ac munituros omnia illa, quae incendiarii illi per Bullam sibi simillimam damnauerunt. Tu itaque hoc monumento me, imo christianam doctrinam tibi et uniuersae nobilitati uestrae commendatam facito, ac uale. Vuittembergae, prima Decembris, 1520. *)

XVIII.

---

*) Est dedic. libri Lutheri: assertio omnium articulorum per bullam Leonis X. nouissimam damnatorum, Witt. 1520. 4.

XVIII.

Justo Jonae.

Et ego magistratui tuo recens inito, suauissime Iona, gratulari cupiens, cum ipse adesse non possem, statui hunc Latomum meum ad te mittere, non iam eum, qui linguarum peritiam calumnietur. Concidit enim iste Iesbibenobus uirtute Abisai nostri, ne quid metuas, sed nec eum, qui malignis modestiae fucis et inauspicatis uocum uersutiis Louaniensium incendiariorum crimen serus patronus iustificet, quem te credo uidisse hominem scilicet gloriantem in Domino Papa et bulla eius. Eum autem mitto, qui Lutherano februo lustratus mitius habere uidetur, a lamiis et lemuribus, quibus hactenus agitatus, agitareque solitus est pia corda. Si hanc rationem in tempore reddidissent, et ante factum, ut decebat sapientes istos uiros, consuluissent, libellos meos neque damnassent neque exussissent, neque nunc stultorum more post factum demum consulerent, tantum me spero effecturum fuisse. Satis me docet hoc libro Latomus, quam facile fuerit illis absente Luthero in suis angulis garrire, hoc est haereticum, hoc est erroneum, quod in publico nullis freti uiribus ausi fuissent attingere. Denique persuadeo mihi, non fuisse unquam proditurum hanc egregiam rationem,

nisi bulla fiduciam eius inflasset, qua gloriatur Latomus suum factum comprobatum, somnians adhuc bullarum antiquos antiquatosque terrores, atque hinc orbem suo libello pauefactum confidit, ut audeat iam sine timore in Lutherum tremendis Dei scripturis ludere. At ego nollem non probatum tale factum tali bulla. Rursum nollem me non damnatum tali bulla. Omnia belle congruunt, bulla, causa, iudex, patronus, a quorum consortio et contagio seruet me Dominus Iesus et omnes pias animas, Amen.

Non facile uero credas, quam inuitus a literis pacificis Christi, quibus me in hac pathmo dederam, auulsus, uepricosi et senticosi Sophistae nugis legendis tempus impendi, uidens hominem a planta pedis ad uerticem usque sophisticum, tum bullae uesica turgentem ea confidentia scripsisse, ut iam nec diligentia nec iudicio sibi opus fuisse putarit, contentus effutire, quicquid uel legerit, uel in buccam uenerit. Quibus molestissimum est respondere, ut in quibus nec ingenium exercere, nec eruditionem alere possis, et tamen optimas horas perdere cogaris. Suspicor hominem credidisse Lutherum aut e medio sublatum, aut perpetuo silentio damnatum esse, quo rursum libere publicum occuparent tyrannide sophistica, euius imminutae ruinam non leuem meam culpam faciunt, atque uti-

nam plena esset ruina, ut plena hac culpa septies irremissibili (si sanctissimis bullarum pontificibus credimus) peccare liceret in mortem usque.

Vereor autem, ne dum de gratia et operibus bonis fortiter pugnamus; interim et gratia et operibus nos ipsos priuemus. Ego quidem intuitus horrenda ista irae tempora, aliud non peto, quam ut dentur fontes aquarum capiti meo, ut flere possim uastationem istam nouissimam animarum, quam operatur regnum istud peccati et perditionis. Sedet portentum Romae in medio Ecclesiae, et uenditat se pro Deo, adulantur pontifices, obsequuntur sophistae, et nihil non pro eo faciunt hypocritae. Interim infernus dilatat animam suam, et aperit os suum absque termino, et ludit Satan in perditione animarum. Nec in nobis est, qui serio et cum lachrymis stet in die furoris huius et opponat se murum pro Israel. Hinc plenus indignatione in istos sacrilegos Latomos qui in his seriis sophisticantur, et nos meliora intermittere, et suis insanis insaniis occupari cogunt, imprecor in durissimas eorum frontes illud: erubescant et conturbentur omnes inimici mei, conuertantur et erubescant subito.

Sed ne longiore epistola te morer, ad Latomianae praefationis capita alio principio responde-

bo. Tu interim hoc mei in te animi teſtimonium agnoſce, et roga Dominum pro me, ut et ipſe liberer a malis (ſic enim nunc audeo cum Apoſtolo) et infidelibus hominibus, qui ſunt in iſta Babylone, et oſtium mihi aperiatur in laudem gloriae gratiae Euangelii, filii ſui. Sed et ego Dominum oro, ut impartiat tibi ſpiritum ſuum, quo decretales Antichriſti peſtilentiſſimas, quibus docendis mandatus es, non alio ſtudio profitearis, quam quo tibi dixi, nempe ut ſis Aaron, et ueſtibus ſanctis indutus, hoc eſt diuinis ſcripturis munitus apprehenſo orationis thuribulo procedas in occurſum uaſtatoris huius in medium incendium iſtud Romanum, quo flagrat orbis propediem alio incendio de coelo per aduentum ſaluatoris noſtri, quem expectamus, extinguendum. Ita mi frater facito, ut doceas dediſcenda eſſe, quae doces, et ſciant, fugienda eſſe ſicut mortifera, quaecunque Papa et Papiſtae ſtatuunt ac ſentiunt. Cum enim ui non poſſimus hoc publicum orbis malum abolere, cogamurque has ſacrilegas Babylonis prouincias adminiſtrare, hoc reliquum eſt, ut ſic adminiſtremus, ut eas longe alias et patriae Hieroſolymitanae aduerſarias uaſtatrices et inſatiabiles crudelitatis hoſtes intelligamus, ne cum iis, qui pereunt, in quibus opertum eſt Euangelium gloriae Dei, captiuitatem noſtram etiam rideamus et palpemus.

Nec leue puta ministerium tuum si iuxta Papae excrementa uenenosa et insanissimas insanias salutare et uiuificum euangelium Christi composueris, ut iuuentus habeat antidotum aduersus hoc uirus, cuius odor etiam occidit hominem, donec discat per sese reprobare malum et eligere bonum. Is tibi esto commendatus Emanuel. Confortare igitur et esto robustus, et Baal phogor, istum ne metuas, cum uix sit Baal Zebub, hoc est, uir muscae, si credimus tamen, quoniam Iesus Christus est Dominus benedictus in secula, Amen. Qui te et ecclesiolam suam apud uos perficiat consolidetque. In quo uale. In loco peregrinationis meae. 8. Iunii, 1521. *)

XIX.

Fratribus suis Augustinensibus Coenobii Wittemberg.

Significatum est mihi, fratres carissimi, et literis et uerbis amicorum, coepisse uos primos omnium in uestra congregatione abusum illum missarum, quas uocant, abrogare. Quae res etsi gaudio non mediocri me affecit, ut qui hoc argumento cognoscam, non esse in uobis uerbum Christi

*) Dedic. libri Lutheri: Rationis Latomianae pro Incendiariis Louaniensis Scholae Sophistis redditae Confutatio. Witt. 1521. 4.

otiosum, tamen, ut nihil satis facit pia charitas, mixto timore sollicitari coepi, ne forte non omnes pari constantia et libera conscientia arduam hanc rem tentetis. Vt enim omittam, quae in dies moliuntur pontifices idolorum, et sacerdotes Baal ad terrendos infirmos fide, dum alius erigit foedas indulgentiarum bullas et fraternitatum ludibria, alius sacerdotes coniugatos captiuat, alius alia monstra parit, nullus autem non pessima alit. Quid hoc putabitis fore, quod prae omnibus hominibus in mundo pessime estis audituri, ut qui omnia tam pauci diuina et humana ausi sitis innouare? Quae sacrilegia? quae flagitia? quae scelera non iactabunt in uos etiam ii, qui sibi et aliis graues, prudentes, piique uidentur? Magnum est certe tot saeculorum consuetudini, tantae multitudinis sensui, tantorumque autoritati reluctari, et eorum murmura, opprobria, iudicia surdis auribus praeterire, et quandam inuictam scyllam his latratibus, procellis, uentis non aliquando quieturis obiectare. Si estis aedificati supra firmam petram, sat scio, frustra flaturos hos uentos, frustra impetum factura haec flumina. Quod si supra arenam statis, quanta uobis obsecro impendet ruina? Accedit ad haec, quod ego quotidie in me ipso experior, quam difficile sit conscientiam longo impietatis usu uexatam ad sanam pietatis scientiam reuocare, et infirmita-

tem eius ſanare. Quot, rogo, medicamentis? quam robuſta reſina Galaad, quam potentibus et euidentibus ſcripturis meam ipſius conſcientiam uix dum ſtabiliui, ut auderem unus contradicere Papae, et credere eum eſſe Antichriſtum, Epiſcopos eſſe eius Apoſtolos, Academias eſſe eius lupanaria? Quoties mihi palpitauit tremulum cor, et reprehendens obiecit eorum fortiſſimum et unicum argumentum: Tu ſolus ſapis? Totne errant uniuerſi? tanta ſaecula ignorauerunt? Quid ſi tu erres et tot tecum in errorem trahas damnandos aeternaliter? Et tandem confirmauit me uerbis ſuis certis et fidelibus Chriſtus, ut iam nec tremat nec palpet, ſed inſultet cor meum his papiſticis argumentis, non aliter atque tutiſſimum littus minaces et tumidas procellas ridet. Hac et experientia et cogitatione cum moueerer, conſilium mihi fuit hanc ad uos epiſtolam mittere ad firmandos et conſolandos eos, qui forte inter uos adhuc infirmi impetum terrentis aduerſarii, et trepidantis conſcientiae ferre nequeunt. Ea enim certitudine et fiducia tentandum eſt, quod praeſtituiſtis, ut non modo totius mundi iudicia pro foliis leuibus et ſummis ariſtis habeamus, ſed et armati ſimus in morte aduerſus portas inferi quin etiam aduerſus iudicium tentantis Dei pugnare, et cum Jacob contra Deum praeualere. Mundi enim uoces occluſis auribus utcunque etiam infirmiores

contemnere possunt. At conscientia infinitis modis damnatos faciet, nisi uerbo Dei certo, potenti et salutari fuerit undique munita, hoc est, supra petram aedificata. Haec est illa certitudo infallibilis, quam quaerimus. Pergemus itaque in missas istas priuatas singularem tractatum edere, profuturum et aliis, qui uolent. Video enim ea, quae antea scripsi, resistentibus idolorum Episcopis, non satis mouere, ut toties repetendum erigendumque sit uerbum ueritatis, quoties illi papyri carnifices damnant et opprimant. Rogemus autem Dominum, ut mittat operarios in messem suam, et angelos suos, qui colligant de regno eius omnia scandala. Multa enim sunt ualde, sed nunc nobis unum istud insigne petitur, quod si tulerimus, non unum tulerimus, cum sit ferme caput omnium. Dominus Iesus confortet et conseruet sensus et corda uestra in fide non ficta et caritate non simulata, Amen. Ex eremo. Die omnium Sanctorum (d. 1. Nou.) 1521. *)

XX.

Johanni Luthero, Parenti suo.

S. in Christo. Hunc librum tibi, parens carissime, nuncupare consilium fuit, non ut nomen tuum

*) Dedic. libri Lutheri: De abroganda missa priuata sententia.

ferrem in orbem, et in carne gloriaremur, aduersus doctrinam Pauli, sed ut occasionem apprehenderem, quae sese inter me et te opportune obtulit, breui prologo et causam et argumentum et exemplum huius libelli piis lectoribus enarrandi. Et ut hinc ordiar, scire te uolo, filium tuum eo promouisse, ut iam persuasissimus sit, nihil esse sanctius, nihil prius, nihil religiosius obseruandum, quam diuinum mandatum. Infeliciter, inquies, scilicet de hac re unquam dubitasti, et nunc tandem haec ita habere didicisti? Imo felicissime, non solum enim dubitaui, sed plane ignoraui haec ita habere. Quin si pateris, promtum est mihi, et communem tibi mecum fuisse eam ignorantiam demonstrare.

Annus ferme agitur decimus sextus monachatus mei, quem te inuito et ignorante subiui. Metuebas tu paterno affectu imbecillitati meae, cum essem iam adulescens secundum et uicesimum annum ingressus, hoc est, feruente (ut Augustini uerbo utar) adolescentia indutus, quod multis exemplis didiceras hoc uitae genus infeliciter quibusdam cecidisse. Destinabas uero me uincire honesto et opulento coniugio. Hic metus erat tua cura, erat et indignatio tua in me aliquandiu implacabilis, frustra suadentibus amicis, ut si quid offerre Deo uelles, charissimum et optimum tuum offerres. Interim Dominus in tuas cogitationes illud Psalmi sona-

bat, ſed ſurdo: Deus ſcit cogitationes hominum quoniam uanae ſunt. Tandem ceſſiſti, et uoluntatem Deo ſubmiſiſti, ſed nequaquam poſito mei timore. Memini enim nimis praeſente memoria, cum iam placatus mecum loquereris, et ego de coelo terroribus me uocatum aſſererem, neque enim libens et cupiens fiebam monachus, multo minus uero uentris gratia, ſed terrore et agone mortis ſubitae circumuallatus, noui coactum et neceſſarium uotum. Vtinam aiebas non ſit illuſio et praeſtigium. Id uerbi quaſi Deus per os tuum ſonaret, penetrauit et inſedit in intimis meis, ſed obfirmabam ego cor, quantum potui, aduerſus te et uerbum tuum. Addebas et aliud, cum tibi iam opprobrarem filiali fiducia indignationem, repente tu me reuerberas et retundis, tam opportune et apte, ut in tota uita mea ex homine uix audierim uerbum, quod potentius in me ſonuerit et haeſerit. Et non etiam, dicebas, audiſti tu parentibus eſſe obediendum? Verum ego ſecurus in iuſtitia mea te uelut hominem audiui et fortiter contemſi, nam ex animo id uerbi contemnere non potui.

Hic uide, annon et tu ignoraris, mandata Dei praeferenda eſſe omnibus. Nonne ſi ſciſſes, me adhuc tum fuiſſe in manu tua, plane e cucullo autoritate paterna extraxiſſes? Sed nec ego ſi ſciuiſſem, te ignorante et inuito id tentaſſem, etiam-

si multis mortibus pereundum fuisset. Neque enim meum uotum ualebat hunc floccum, quo me subtrahebam parentis autoritati et uoluntati diuinitus mandatae, imo impium erat et ex Deo non esse probabat non modo id quod peccabat in tuam autoritatem, sed etiam quod spontaneum et uoluntarium non erat. Deinde in doctrinas hominum et superstitionem hypocritarum fiebat, quas Deus non praecepit. Verum Deus, cuius misericordiae non est numerus, et sapientiae eius non est finis, ex omnibus his erroribus et peccatis quanta bona ecce promouit? Nonne centum filios nunc malles amisisse, quam hoc bonum non uidisse? Videtur mihi Satanas a pueritia mea aliquid in me praeuidisse eorum, quae nunc patitur, ideo ad perdendum, ad impediendumque me insaniuit incredibilibus machinis, ut saepius fuerim admiratus: egone solus essem inter mortales, quem peteret. Voluit autem Dominus (ut nunc uideo) Academiarum sapientias et monasteriorum sanctitates propria et certa experientia, hoc est, multis peccatis et impietatibus mihi notas fieri, ne impiis hominibus occasio fieret in futurum aduersarium gloriandi, quod ignota damnarem. Igitur uixi monachus, non sine peccato quidem, sed sine crimine. Nam impietas et sacrilegium in regno Papae pro summa pietate habentur, nedum crimina censentur.

Quid igitur nunc cogitas? An adhuc me extrahes? Adhuc enim parens es, adhuc ego filius sum, et uota omnia nullius sunt momenti. A parte tua stat autoritas diuina, a mea parte stat praesumtio humana. Neque enim ipsa adeo continentia, quam tantis buccis crepant, quicquid ualet sine obedientia mandati Dei. Continentia non est mandata, obedientia uero est mandata. Quanquam insani et fatui Papistae uirginitati et continentiae nihil patiantur aequari, prodigiosis mendaciis utramque iactantes, ut ipsa mentiendi insania, tum ignorantiae magnitudo utra et sola debuerit suspectum reddere, quicquid faciunt et sapiunt. Quae est enim intelligentia, illud sapientis, non est digna ponderatio continentis animae, eo torquere, ut uideatur uirginitatem et continentiam omnibus praetulisse, incommutabilem et indispensabilem fecisse? cum hoc uerbum Iudaeus Iudaeis scripserit, de casta coniuge, apud quos uirginitas et continentia damnabantur. Sic et illud pudicae uxoris praeconium: haec est, quae nesciuit thorum in delicto, aptant uirginibus. Breuiter cum uirginitas in scripturis non laudetur, sed tantum probetur, praeconiis coniugalis castitatis, ceu alienis plumis uestitur ab istis, qui ad pericula salutis animas promti sunt inflammare. Annon et obedientis animae non est digna ponderatio? plane ideo non est digna ponderatio

continentis animae, id est, pudicae uxoris, non solum quia praecepta est a Deo, uerum etiam, ut et uulgatum prouerbium habet, quod uxore pudica nihil est in hominibus expetibilius. At illi fideles scripturae interpretes, quod de continentia praecepta dicitur, de continentia non praecepta intelligunt; deinde ponderationem humanam faciunt aestimationem diuinam. Hinc omnia dispensant etiam obedientiam Dei. Continentiam uero aliquando et prohibitam scilicet aduersus parentum autoritatem susceptam non dispensant. O dignos et uere papisticos Doctorculos et Magistellos! Virginitas et castitas laudandae sunt, sed sic, ut magnitudine earum magis absterreantur, quam alliciantur homines, sicut Christus cum discipuli continentiam laudarent, dicentes: non expedit nubere, si sic homini cum uxore est, mox retraxit eos et dixit: non capiunt omnes uerbum hoc. Capiendum uerbum, sed paucis uoluit intelligi.

Sed ad te reuertar, parens mi, et iterum dicam numquid me extrahes adhuc? At ne tu glorieris, praeuenit te Dominus, et ipse me extraxit. Quid enim si uestem et rasuram uel gestem uel ponam? Numquid cucullus uel rasura faciunt monachum? Omnia uestra, ait Paulus, uos autem Christi, et ego cuculli ero, ac non potius cucullus meus? Conscientia liberata est, id quod abundantissime est

liberari. Itaque iam sum monachus, et non monachus, noua creatura, non Papae, sed Christi. Creat enim et Papa, sed puppas et pappos, hoc est, sibi similes larvas et idola, quorum et ego aliquando unus fui seductus uariis uerborum consuetudinibus, quibus et sapiens periclitatum sese dicit ad mortem usque, et liberatum gratia Dei. Sed numquid iterum tuo te iure et autoritate spolio? plane autoritas tibi in me manet integra, quod ad monachatum attinet, uerum is iam nullus in me est, ut dixi. Caeterum is, qui me extraxit, ius habet in me maius iure tuo, a quo me uides positum iam non in fictitio illo monasticorum, sed uero cultu Dei. In ministerio enim uerbi me esse, quis potest dubitare? At hic cultus plane est, cui cedere debet parentum autoritas, dicente Christo: qui amat patrem et matrem plus, quam me, non est me dignus. Non quod parentum autoritatem hoc uerbo euacuerit, cum Apostolus toties inculcet, ut filii obediant parentibus, sed si pugnet parentum et Christi uocatio uel autoritas. Christi autoritas regnare sola debet. Itaque sub conscientiae meae periculo tibi non obedire non possem (ita sum modo persuasissimus) ubi ministerium uerbi ultra monachatum non accessisset. Hoc est, quod dixi, neque te neque me sciuisse antea, mandata Dei omnibus praeferenda esse. Sed totus fer-

me orbis hac ignorantia laborat, regnante operatione erroris, sub abominatione Papali, quod et Paulus praedixit, dicens fore homines parentibus non obedientes quod in monachos et sacerdotes quadrat, eos potissimum, qui specie pietatis et titulo seruitutis Dei parentum autoritati se subtrahunt, quasi ulla sit seruitus Dei alia, quam mandatis eius obedire, inter quae est et obedientia parentum.

Mitto itaque hunc librum, in quo uideas, quantis signis et uirtutibus Christus me absoluerit a uoto monastico, et tanta libertate me donarit, ut cum omnium seruum fecerit, nulli tamen subditus sim, nisi sibi soli. Ipse enim est meus immediatus (quod uocant) Episcopus, Abbas, Prior, Dominus, Pater et Magister. Alium non noui amplius. Sic spero tibi filium unum rapuerit, ut multis aliis filiis suis per me consulere incipiat, quod tu non modo libenter ferre, sed et multo gaudio gaudere debes, nec aliud te facturum esse, mihi certissime persuadeo. Quid si me occidat Papa, aut damnet ultra tartara! Occisum non suscitabit, ut bis et iterum occidat. Damnatum uero ego uolo, ut nunquam absoluat. Confido enim instare diem illum, quo destruetur regnum istud abominationis et perditionis. Vtinam nos primum digni simus uel exuri uel occidi ab eo, quo sanguis no-

ſter magis clamet et urgeat iudicium illius accelerari, ſed ſi digni non ſumus, ſanguine teſtificari, hanc ſaltem oremus et imploremus miſericordiam, ut uita et uoce teſtemur, quod Jeſus Chriſtus ſolus eſt Dominus Deus noſter benedictus in ſecula ſeculorum, Amen. In quo bene uale cariſſime parens, et matrem meam Margaritam tuam cum uniuerſo ſanguine ſaluta in Chriſto. Ex eremo. d. 21 Nouemb. 1521. *)

XXI.

Conrado Pelicano, Minoritano.

Quod mea ſic praedicas, non agnoſco, fauori timeo nimium dederis. Mihi certe Pſalterium meum nauſea eſt: non tam ob ſenſum, quem arbitror eſſe genuinum, quam ob uerboſitatem, confuſionem et indigeſtum cahos. Liber eſt enim, quem una eademque opera concipere, formare, alere et parere cogor, temporis et otii penuria. Iam diu cogito eum reuocare. Voce enim uiua multum auditoribus et lucis et gratiae accedit, quantum cahos iſtud literarum neque habet, neque capit. Quod ſi non eſt excuſus Pſal. XI. uelim deleas in fine loquitur Luthe-

*) Dedicatio libri Lutheri: Iudicium de uotis monaſticis, Witteb.

Lutherus de Vitebergensis exemplaris paginis) ultimae paginae, literae B. duodecim uersus, cum tribus sequentibus uersibus literae C. Vides enim, quam ibi foede errauerim in uocabulo סבוב. Raptus et occupatus tum fui, sicut saepe alias cogitationibus uariis, sum enim occupatissimus, duas conciones per diem habeo, Psalterium cogo, Postillas, quas uocant, molior, et hostibus respondeo, et Bullam utraque lingua impugno, meque defendo. Vt literas taceam amicis reddendas, et conuersationes domesticas fortuitasque. Iam quod oblitus, Psal. XIII. quicquid de uerbo משכיל somniaui per XXVI. uersus dele quaeso. Dabo operam, ut uerbis intelligendi explicandis simile negotium tribuam, quod uerbis uirtutis feci, Psal. XX. Multis aliis, sed leuioris momenti, mendis scatet liber culpa typographi. Bene facis pro me orans, multis premor malis, et impedior a sacris, uita mea mihi crux est. Vicesimum primum psalmum אלי אלי in manibus habeo. Sperarem Psalterium consummandum, si pacem daret Christus, ut totus in eum incumberem. Nunc ne quarta quidem pars Psalterio seruit, imo mera furta sunt temporis, quae illi impendo. Recte mones modestiae me; sentio et ipse, sed compos mei non sum, rapior nescio quo spiritu, cum nemini me male uelle conscius sum, uerum urgent etiam illi furiosissime, ut sata-

nam non ſatis obſeruem. Itaque pro me ora Dominum, ut quod ſe et me, non quod illos decet, ſapiam, loquar et ſcribam, ac bene uale in Cſiriſto. Wittemb. 1521. *)

XXII.

Reuerendo Patri Brismanno Theologo et Franciſci ſincero diſcipulo in Chriſto ſuo maiori.

Jheſus.

Salutem. Et memor tui ſum, reu. Pater, et memor ero, ſed noſti huius aulae cunctationem, et ut dicunt, ſummam prudentiam. Atque nec-dum a Spalatino reſponſum accepi. Vrgebo autem eum quam primum, ut certus fiam, ſitne quaeſtio affirmatiua uel negatiua ſuper te. Interim tu patere, ſicut pateris, aut ſi potes, erumpe et aduola. Credo enim te in conuentu ueſtro apud nos ali poſſe, ſicut hactenus, etiamſi Princeps praeterea nihil adderet. Neque enim patiar, ſi reſciero, ueſtrum conuentum penuria confici, ſicut et praedicam, ut aut alerent propriis, aut mendicitatem rurſus admitterent, quod et factum eſt. Aliud modo non habeo, quod ſcribam, et omnia ex fratribus tuis

*) Riederer. Nachrichten. P. I. p. 189.

ſcire poſſis, quae hic aguntur. Dominus ſeruet te et augeat in gloriam ſuam cum omnibus tuis, in quo bene uale. f. 2. Paſchatos, 1522. *)

XXIII.

Sebaſtino Schlik, Comiti in Paſſun, Domino in Elbogen.

G. et pax in C. Tertius et amplius annus agitur, Generoſe Comes, quod furioſus Papiſtarum populus me inſimulat fugae ad Bohemiam, idque mirum in modum ſitit audire, ſcilicet homines belli, hac ſola fama triumphaturi gloriaturi et clamaturi: Vicimus, Haereticus fugit ad haereticos: Sic enim uecors illa et indoctiſſima Papiſtici corporis bellua, poſtquam uidet ſeſe eruditione et ueritate uictam nec poſſe ſtare totam colluuiem ſuorum aſmorum aduerſus unum Lutherum, torquetur et uritur, unicum hoc reſpiraculum ſuſpirans, ut fugiam in Bohemiam, ut ſaltem opprobrio alieni nominis ſeſe ſolentur, et terribiles Emim ſeſe fingant, qui pro ſua inſcitia et mala conſcientia nullibi audent comparere. Apparui ego iam tertio coram eis, denique Wormatiam ingreſſus ſum, etiam cum ſcirem, mihi uiolatam eſſe a Caeſare fidem

*) Erleutert. Preuſsen T. II. p. 304.

publicam. Nam didicerunt Principes Germaniae olim de fide laudatissimae gentis nunc in obsequium idoli Romani nihil magis quam fidem contemnere, in perpetuam nationis ignominiam. Sic ausus est fugitiuus ille et meticulosus Lutherus in gyrum dentium Behemoth insilire. At illi trementes Gigantes quid? Toto hoc triennio non est inuentus unus, qui ad nos Wittembergam concederet, et coram nobis etiam staret, cum et certissimi sint de fide et tutela (nempe sub Caesaris sui praesidio acturi omnia) adhuc audent homines effoeminati et excordes sperare triumphum mea fuga, foedissimam suam ignominiam honestaturi, qua toto orbe celebrantur, sese prae ruditate et pauore animi non audere in conspectum unius Lutheri prodire. Quid putas hae fragiles bullae facerent, si et ipsi cogerentur coram aduersario Caesare et hostibus praeualentibus sistere? Scilicet in mille diuerticula fugerent miseri, qui nunc in cuniculis suis sicut sorices mussitant, Lutherus meditatur fugam. Sic et Rex Angliae hoc libro multa saliua blaterat de fuga mea in Boemiam, homo sapiens scilicet, qui credit ideo suum librum esse uictoriosum et digne scriptum, si ad Boemos Lutherus fugerit, tam necors et muliebris est stolidi Regis inuidia.

Ego uero, quamuis ardeat animus uidere Bohemiam et religionem papisticis monstris tam odio-

ſam, tamen hactenus abſtinui et abſtinebo, non quod opprobrium nominis metuam, quod celeberrimae nationi uiliſſima hominum fex, Papiſtae, cum ſumma perfidia et iniuria inuſſerunt. Nam iuſtiſſima cauſa Bohemi homicidas iſtos et Antichriſtos Papiſtas deſeruerunt, poſtquam innocentem uirum Iohannem Huſs ipſi ſepties haeretici exuſſerunt, et utramque ſpeciem a Chriſto inſtitutam ſacrilege damnarunt. Hae enim cauſae odii papiſtici in hanc gentem, nec aliquando purpuratae iſtius meretricis ſpurii agnoſcunt ferale ſuum homicidium, et damnati Euangelii ſacrilegium, quin pergunt furorem ſuum tueri et opprobrium, quo ipſi coram Deo inſignes ſunt, alienae et innocenti nationi imponere. Non ergo opprobrium Bohemici nominis metuo, quae gloria eſt coram Deo, ſed quod Chriſtus me hic poſuit, ut torqueam papiſtica monſtra, dum nihil inuenire in me poſſunt, quod iactare uellent in ſuae incredibilis inuidiae reſpiraculum. Cruciari eos uult Chriſtus ſua ipſorum inuidia et dirumpi propria malitia. Expecto igitur eos hic et expectabo impotentiſſimam eorum inuidiam, egregie irritaturus et torturus, donec uixero. Si autem me occiderint, multo maxime cruciaturus. Sic enim datus ſum illis in portentum a Domino meo Chriſto, ut ſiue me uiuificent, ſiue occidant, nihil gratiae, nihil pacis, nihil ſo-

latii habitura sit furialis eorum conscientia, ut duplici contritione conterantur, et praesentis inuidiae cruce aeternam mereantur gehennae torturam. Instat enim mors Papatus abominabilis, urget eum ineluctabile suum fatum, et ut Daniel ait, ad finem sui uenit et nemo auxiliabitur ei. Ita concurrimus utrinque, illi extremo furore, ego summo contemtu, et uincet audacia mea in Christo nouissimam illorum et iam pallentem furiam.

Aliam uero fugam in Bohemiam meditor, ne nihil ueri uaticinentur sibi Papistici Pithones, sed de qua maiorem compunctionis spiritum sint passuri, haec est, iuxta illud Mosi: prouocabo eos in non gente et in gente stulta irritabo illos. Nam tantum meis libellis breui propitio Christo efficiam, ut Bohemi a suo opprobrio liberi, soli autem Papistae sint nomen abominationis in orbe terrarum, ut maledictum et anathema sit, esse Papistam. Non quod omnia Bohemorum probem, cum eorum res ignorem, et sectas esse inter eos audiam, sed quod papistica turba illis comparata foetor et nausea futura sit in toto mundo, qui nihil nisi sectae sunt ipsi, adeo ut soli Franciscani inter sese ferme sex sectis scissi sunt.

Haec autem ad te scribo, Heros Generose, ut mihi initium huius fugae captem apud te, qui regnas in Bohemiae initio, confinis Germaniae, ut

per te tuamque ditionem procedam in totam Bohemiam. Rex laicus ſcripſit ad ſacerrimum ſuum Pontificem. Ego quondam miſeratione Papae clericus ſcribere debui ad Chriſtianiſſimum laicum. Audio enim te incredibili ſtudio feruere in puram Euangelii ueritatem, et abominationes et ſcandala Romanae peſtilentiae undique e tuo dominio profligari. Macte uirtute clariſſime Heros, ſic abolebitur opprobrium Bohemici nominis, et redibit meretrici in ſinum ſuum ſentina illa mendaciorum et fornicationum ſuarum, ut reuelentur pudenda eius orbi terrarum ad ſempiternam ignominiam. Hoc ſit initium fugae meae. Haec ſpes optimi exempli, quod imitentur reliqui Bohemi, Heroes et Magiſtratus. Sic non modo in Bohemiam fugero, ſed et habitauero in ea, etiam ſi hic me exuſſerit illaudatae meretricis furor. Inuidiam tamen eius ſimul et ſuccendero et uicero in Chriſto. Nihil erit ei amplius proſperum. Chriſtus ſic ſtatuit, Amen. Gratia Domini noſtri I. C. ſeruet et augeat te optime Heros in aeternum, Amen. Wittenb. 15. Iul. 1522. *)

---

*) Dedic. libri Lutheri: Contra Henricum Regem Angliae. Witt. 1522. 4.

XXIV.

Nicolao Hausmanno.

G. et P. in D. Rogauit me hic adolescens bonae spei ac indolis, qui iuxta euangelium suis laboribus panem manducare statuit, ut eum uestris lanificis et textoribus commendarem. Cum autem ego sim ignotus illis, oro, ut te patiaris operari hoc officio, si commode quidem praestare possis, ut tuis precibus alicui opificum tradatur erudiendus. Nolo enim te grauari, si non facile potes, sic nec ipsi obsequium harum literarum negare non potui. Caetera omnia sunt salua in Domino sicut hactenus. Saluta D. Consules et omnes nostros, ac ora pro me, sicut facis. Vale in Domino. Witeb. f. 3. post Martini (13. Nouemb.) 1522. *)

XXV.

Ioanni, Oecolampadio.

G. et P. in Christo. Primum exoratum te uolo, optime Oecolampadi, ut non hoc meae ingra-

---

*) Extat germ. T. XXI. Opp. Luth. Walch. p. 1361. ubi haec quoque leguntur: Leonh. Finck heisset dieser Jüngling, der von ehrlichen Eltern geboren ist, die ihn aber lieber zu gottlosen Unflätereien angeführt sähen.

titudini aut ſocordiae tribuas, quod hactenus nihil ad te ſcripſi. Ego enim poſtquam excuſſiſti Brigittam, nihil accepi litterarum. Simul arbitratus ſum, quandoquidem tanti ſpiritus uirtute Chriſtus cor tuum firmauit, ut uicta conſcientiae ſuperſtitione, hoc iugo Satanae te ſolueres, maiorem te factum, quam ut litteras a te ſperarem, uel noſtris litteris firmareris. Certe, uehementer nos probauimus hunc ſpiritum tuum et egregium facinus. Neque ceſſat Philippus te mihi quotidie maiorem facere, ſingulari gaudio in tui memoria delectatus. Dominus etiam roboret inſtitutum tuum in legendo Iſaia: quanquam ad me ſcriptum eſt, Eraſmo diſplicere. Sed hoc diſplicere nihil te moleſtet. Quid Eraſmus in rerum ſpiritualium iudicio ſentiat, aut ſimulet, teſtantur eius libelli abunde tam primi quam nouiſſimi. Ego etſi aculeos eius alicubi ſentio, tamen quia ſimulat, ſe non eſſe hoſtem palam, ſimulo et ego, me non intelligere aſtutias ſuas, quanquam penitius intelligatur, quam ipſe credat. Ipſe fecit ad quod ordinatus fuit. Linguas introduxit, et a ſacrilegis ſtudiis reuocauit. Forte et ipſe cum Moſe in campeſtribus Moab morietur. Nam ad meliora ſtudia (quod ad pietatem pertinet) non prouehit. Vellemque mirum in modum, abſtinere ipſum a tractandis ſcripturis ſanctis, et paraphraſibus ſuis, quod non ſit par iſtis officiis,

et lectores frustra occupat et moratur in scripturis discendis. Satis fecit, quod malum ostendit, at bonum ostendere (ut uideo) et in terram promissionis ducere non potest. Sed quid ego de Erasmo tam multa? nisi ut illius nomine et autoritate nihil mouearis, atque adeo gaudeas, si quid ei displicere sentias in re ista scripturarum, ut qui uel non possit, uel non uelit de iis recte iudicare, sicut pene totus iam orbis incipit de eo sentire.

Tuas translationes Chrysostomi nondum uidi. Verbositatem hanc ergo amice feras. Scio te his solatiis non indigere. Christus in te habitans, et per te operans non te derelinquet. Ora autem tu pro me, quia tot occupor externis negotiis, ut periculum sit, carne me consummari, qui spiritu coepi.

Monialés et Monachi egressi mihi multas horas furantur, ut omnium necessitati seruiam, ut taceam uulgus promiscuum, quod me sibi debitorem exigit multis modis. Vale Oecolampadi, et gratia Christi sit tecum. Saluta omnes nostros. Witembergae, uicesima Iunii, 1523. *)

---

*) Hottingeri H. E. Tom. VI. p. 757.

XXVI.

Theobaldo Billicano, Past. Noerdlingensi.

Gratia et Pax. Nec tu mea nec tua ego hactenus usus sum charitate, optime Theobalde. Sed sic res poscit, ut ego tua uti prior cogar. Hunc sacerdotem conscientia imperante uxorium factum diligenter tibi commendo, qui ob uicinitatem sese tuto apud uos uiuere posse confidit, si tuo patrocinio fuerit animatus. Nam sub Archiepiscopo suo palam nondum licet caste, hoc est in coniugio uiuere, donec aliud Christus ostenderit. Tu nunc optime perspicies, an palam uel clam apud uos agere debet maritum. Magnifice de te praesumo, adeo ut uerbis pluribus putem tibi molestus esse, si secus de te cogitem quam de fratre, qui non sua sed aliorum spectet. Facit ad hoc Philippi de te testimonium amplissimum, ut nihil minus de te mihi pollicear quam de Philippo ipso, quem non secus habeo ac me ipsum excepta eruditione ac integritate uitae, qua me pudefacit nedum superat. Tu uale in Domino ac prospere procede in ministerio sancto. Wittembergae, 1523. Die Lamperti (17. Sept.)

XXVII.

Jo. Staupitio, Abbati Salisburg.

Gratia et pax in C. I. D. N. I. C. Reuerende in Christo Pater. Iniustum est nimio silentium tuum, de quo ut nos cogitare debeamus, ipse facile perspicis. Sed nos certe etiamsi desiuimus tibi grati ac placiti esse, tamen tui non decet esse immemores et ingratos, per quem primum coepit euangelii lux de tenebris splendescere in cordibus nostris. Sed hoc etiam uerum esse fateor, nobis fuisse acceptius, te non esse factum Abbatem, nunc cum factus sis, utrinque boni consulamus, unumquemque sensu suo abundare permittamus. Ego sane cum tuis optimis amicis non tam aegre ferimus, esse te alienum a nobis, quam quod monstro illi famoso, Cardinali tuo, proprius factus es, cui quae libeat ac liceat furere, orbis pene non fert, haec tamen tu ferre et tacere cogeris. Mirum, si non Christum negare pericliteris. Proinde nos oramus plane et optamus, te nobis reddi, et redditum dari ex istius tyrannidis carcere, idque speramus et a te cogitari. Nam ego, ut hactenus te noui, non possum ullo modo duo ista pugnantia componere, nempe ut idem sis, qui fueris, si sic manere statueris, aut si idem sis, non aliunde moliaris discessum. Cum autem optima cogitemus, et optemus tibi,

posterius adhuc tenemus spe bona, licet diuturno tuo silentio satis fortiter pulsata. Itaque hac ratione ausus sum has ad te dare literas pro fratre Achatio, tui monasterii quondam captiuo, nunc Christi, spero, liberto. Quin si talis nobis es, qualis fuisti, non tantum audeo ueniam pro illo petere, quod aufugit sine licentia (quam spero isti facies egregie) uerum diligenter pro illo ipso obsecrarem, ut aliquid ei de plenitudine optimi monasterii tui impertireris, quo meliorem uitae rationem inire posset pauper et egenus. Nam id a me quoque postulauit, ut facerem. Et ego in dubio incertus, meliorem spem apprehendi et in hanc partem inclinaui, ut adhuc omnia optima de te praesumam. Sin autem mutatus es in alium uirum erga nos, quod auertat Christus, (libere loquor tecum) nolim plura uerba perdere, sed misericordiam Dei super te et nos omnes inuocare. Vides itaque, reuerende Pater, quam ambigue scribam, quod tuo silentio tanto nos incertos tamdiu relinquis, quis sit tuus animus, cum tibi certissimum sit, quid nos sapiamus et sentiamus, et certum mihi sit, non contemni nos a te ex animo, etiamsi per omnia displiceremus. Ego plane non desinam, optare et orare, quam ut alienus a Cardinale tuo et Papatu fias, sicut ego sum, imo sicut et tu fuisti. Dominus autem exaudiat me, et assumat te sibi nobiscum, Amen. Wittenb. die Lamperti (17. Sept.) 1523.

XXVIII.

Johanni Loſer, Pretenſi haereditario, in Saxonia Hipparcho.

G. et P. Strenue ac iuxta magnanime heros, ego quoad in me eſt, promiſſis iam nunc meis ſatisfacio, fortiter ſperans, te item absque ulla comperendinatione, qui eſt inclitus animus tuus, ut mihi pollicitus es, facturum. Quod hoc ut chriſtianius auſpiceris, tibi et cuicunque cordi eſt, in officium primae ad Corinth. 7. caput ſelegi enarrandum, cum quod idem caput prae omnibus ſcripturae locis uarie hinc inde aduerſus diuinum coniugii ſtatum tractum dilaceratumque ſit, tum quod praepotenti fuco ac ſpecie periculoſa atque adeo rara caſtitas inde delibuta ſit. Et ut palam fatear, hoc capite tam fuit turgidus nemo, atque ii, qui omnium longe deuotiſſimi caſtitatis hoſtes uixerunt. Ipſe quidem eo perductus eram, ut commune caſtitatis donum putarem, quemadmodum iſti prae ſe ferebant. At Chriſto gratia hoc triennio ſatis expertus ſum, quidnam pudicitiae in mundanis tam uirorum quam mulierum coenobiis extra matrimonium exiſtat. Igitur diuinitus mihi iniuncto munere, ut de coniugio praedicem, et ſatanicae caſtitatis ollae operculum detegam, quo imminuatur fornicatio, miſeraeque pubi fictae caſtitatis ſpecie

non usque adeo imponatur, inuigilandum est mihi, ne hocce caput illorum falsum propugnaculum nequitiam eorundem porro contegat, caeterum iuxta mentem Pauli uere intelligatur. Idque nuptiis tuis munusculi donare cordi fuit, quo et ego christianum semel epithalamion ueterum more canam, ut ita tuum institutum et laudem Dei promoueat, et tuam beatitudinem felici auspicio et fine fortunet. His te, sponsamque tuam Dei seruatoris nostri gratiae commendatos uolo, Amen. Wittemb. 1523. *)

XXIX.

Bernhardo, Judaeo conuerso.

G. et P. a Domino. Infamis est fere toto orbe Iudaeorum conuersio non modo apud Christianos sed et apud Iudaeos, his dicentibus, neminem bona fide a Iudaismo deficere ad Christianismum, sed quod, qui id tentet, aliquo facinore insignis apud Iudaeos manere non potuerit; illis uero experientia testantibus, solitos eos uel redire ad uomitum, uel ficto nomine Iudaismum deserere.

---

*) Dedic. libri Lutheri: In septimum primae ad Corinth. caput Exegesis — nuper latina facta per Joannem Lonicerum, Argent. 1525. 8.

Nobilis est historia illa, quae sub Sigismundo Imp. gesta dicitur, ubi Aulicus Iudaeus apud Imperatorem multa prece ambiuit Christianismum, tandem admissus et baptizatus, postea et tentatus est, sed ante tempus et ultra uires. Nam mox baptizato duos struxit ignes Imperator, alterum Iudaeorum, alterum Christianorum appellans, iussitque Iudaeum baptizatum eligere, utro mallet exuri? Iam enim, ait, baptizatus et sanctus es, melior in posterum haud temere fies. Hic miserabilis homo uel fictae uel imbecillis fidei suae testis elegit Iudaeorum ignem, et Iudaeus insiliit, et Iudaeus arsit. Nota est et illa de testamento Iudaei baptizati Coloniae, et multae aliae. Sed huius infamiae causam esse puto non tam pertinaciam et nequitiam Iudaeorum, quam insulsissimam ruditatem, asininamque ignorantiam, tum sceleratissimam impudentissimamque uitam Pontificum, Sacerdotum, Monachorum, Scholarumque, ut qui nec doctrina, nec moribus Christianis ullam scintillam lucis aut ignis exhibuere Iudaeis, sed omnibus contrariis, tenebris et erroribus traditionum suarum et exemplis pessimorum morum corda et conscientias eorum alienarunt, et solo nomine Christiano imbuerunt, ut recte illud Christi de illis dictum intelligas: Vae uobis, Scribae et Pharisaei, qui circuitis mare et aridam,

ut

ut faciatis unum proselytum, et cum factus fuerit, facitis eum filium gehennae duplo quam uos. Matth. XXIII. Scilicet ii Iudaeos culpant, quod ficte conuertantur, sese uero non culpant, quod eos ficte et impie conuertant, imo de errore uno in alium peiorem duplo seducunt. Quae, rogo, gloria, imo quae furia sit eius magistri, qui puero bonae spei et indolis non tradat, nisi pestilentissima, tum uita ipsa monstret nihil nisi corruptissimos mores, postea lauet tamen manus, et dicat, puerum non didicisse a sese bona? Sic lena doceat puellam meretricari, posteà accuset, quod non uiuat uirgo. Plane hanc fuisse rationem conuertendi et instituendi Iudaeos apud Sophistas et Pharisaeos nostros, ipsa tua quoque experientia testis est. Verum cum iam oriatur et fulgeat lux aurea Euangelii, spes est, fore, ut multi Iudaeorum serio et fideliter conuertantur, et sic rapiantur ex mundo ad Christum, sicut tu raptus es, et quidam alii, qui reliquiae estis seminis Abrahae per gratiam saluandae. Nam qui incepit, perficiet, nec finet uerbum suum ad se reuerti inane. Proinde ad te uisum est mittere hunc libellum, pro roboranda et certa facienda fide tua in Christum, quem recenter ex euangelio didicisti, ac nunc demum etiam in spiritu baptizatus, et ex Deo natus es, quem

uelim tuo exemplo et opere, et apud alios Iudaeos uulgari, ut qui praeordinati sunt, uocentur, et ueniant ad Dauid regem suum, qui pascat et seruet eos, qui apud nos a Pontificibus et Pharisaeis in hoc iudicium praedestinatis incredibili insania damnatur. Vale in Domino, et ora pro me. (1523.) *)

XXX.

Wolfgango Fabritio Capitoni.

G. et P. in Domino. Nisi tam constanter tu Bucerusque tecum, optime Fabrici, assereres esse aliquot, qui iactent uestra studia a nobis damnari, planeque nos dissentire, paratus eram haec tribuere suspicionis imbecillitati ob diuturnum nostrum silentium, cum idem referri a fratribus illis ad nos profectis uix ante triduum, cum acciperem has uestras litteras, audirem. Et quamuis sic in uobis Christus regnet, et nihil uobis sit timendum, iacturae, siue dissentiamus siue damnemus nos uestra, tamen nihil mihi molestius est, quam hoc audire sic iactari discordiam nostram, cum sit summa con-

*) E A. M. Verpoortennii Analectis sacris p. 221. sumt. Conf. Lutheri libellus, Christum Iesum uerum Iudeum et semen esse Abrahae, e germ. uers. per I. Ionam, Vit. 1523. 8.

cordia et unitas spiritus sincera atque perfecta. Quia ego soleo dissimulare et celare, quantum possum, ubi aliqui nostrum uere dissentiunt a nobis (quales multos iam agitat nescio quis spiritus) quanto minus mihi hoc scandalum et iniuriae genus in christianam concordiam et spiritualem pacem ferendum est. Quare nisi essem nimis occupatus, non dimitterem, quin publico scripto testarer et illorum susurronum mendacium et nostrum candidum consortium in re christiana.

Mirifice placent nuptiae sacerdotum et monachorum et monialium apud uos. Placet appellatio maritorum aduersus satanae episcopum. Placent vocati ad parochias. Quid dicam? nihil dein audiui, quo non gauderem maxime in uobis. Tantum pergite et prospere procedite, ut et uos doceat mirabilia dextera uestra, et populi sub uos cadant in corde inimicorum regis. Quin ego iam satis arbitror his annis indultum infirmis. Deinceps quia indurantur de die in diem, liberrime omnia sunt agenda et dicenda. Nam et ego incipiam tandem cucullum abiicere, quem ad sustentationem infirmorum et ad ludibrium Papae hactenus retinui. Sinamus mortuos sepelire mortuos suos, coeci sunt et duces coecorum. Puto autem uanissimum hunc discordiae nostrae rumorem ex episto-

la illa ad te mea toties iam excusa, et nunc etiam uernaculo ornata, esse natum, quae res me pene deterret a scribendis epistolis, cum uideam sic eas rapi me inuito ad praela, cum inter amicos multa liceat, et oporteat liberius scribere, quam expediat in uulgus spargi. Eras autem et tu tum alius uir et aulae seruus. Nunc autem Christi libertus et seruus Euangelii, totus meus et ego totus tuus. Saluta mihi in Christo M. Bucerum cum uxorcula et prole et omnes illos maritos nouos, praesertim Hedionem. Salutat ecclesiam uestram nostra ecclesia. Gratia uobiscum. Wittemb. die (25. Maii) Vrbani, 1524. *)

XXXI.

Wolfg. Fabritio Capitoni.

G. et P. in D. Submonuit me Philippus noster, mi Fabrici, ut de decimis meam sententiam tibi aperirem, cum uulgus isthic audiatur recusare uelle. Mihi sane decimae uidentur esse omnium longe iustissimae, ut quae diuinis testimoniis et ab origine mundi pene fuerint, tum etiam aequissimae, ut quae tantum crescant ac decrescant, quantum fert terra de benedictione Domini. Quare om-

*) Class. IV. fasc. V. Bibl. Brem. p. 911.

nibus modis agendum est, ut decimae maneant salu uae, ut sit, quod magistratibus et Principibus pendatur. Hoc agant potius, qui contra decimas pugnant, ut census redempticii et alia id genus grauamina, qui orbem exagitant, aboleantur. Atque utinam omnibus aliis censibus abolitis non solum decimae, imo nonae aut octauae maneant. Quin Aegyptiis quinta data, tamen uiuebant. Nos nec decimis uiuere possumus, tantum saeuiunt alii census et grauamina. Sic sentio et te orō, ut juues alios idem sentire, ne uulgo permittatur licentia talis. Saluta omnes, et orate pro me. Wittemb. f. 4. post Barnabae (14. Iunii) 1524. *)

XXXII.

Joanni Brismanno.

G. et P. in Christo. Suauissimae fuerunt litterae tuae, mi Brismanne, et repleuerunt gaudio os nostrum, quod Dominus Iesus sic sermonem suum promouet apud uos et confirmat. Idem faciat ut ad finem usque in diem suum sic currat et abundet magis, Amen.

Te quoque uehementer amamus, quod autor es ne quicquam ui aut tumultu sed omnia sola uir-

*) Bibl. Brem. Cl. IV. fasc. V. p. 913.

ſuite uerbi gerantur. Dominus et conſeruet et adaugeat ſpiritum illum in te, et omnibus aliis.

Venit autem ſocius uobis D. Paulus Speratus uocatus illuc a Magiſtro magno. Hunc tibi ex animo commendo; dignus uir eſt et multa perpeſſus, ex quo audies omnia, quae in his regionibus aguntur. Satan ſuſcitauit nobis Prophetas et ſectas, qui eo tandem procedunt, ut armis et ui uelint tentare ſuarum opinionum incrementum, cum his uideo nobis fore negotium deinceps. Carlſtadius quoque ſui ſimilis manet et illis ipſis fauet. Homines ſunt incredibili iactantia de ſpiritu ſuo, quem ex Deo ſeſe habere fingunt immediate, etiam fore ſine Chriſto, ut Chriſtum nobis exemptum (exemplum) tantum facturi uideantur, et tollere omnia ſacramenta cum Chriſto.

Fama eſt, edendum eſſe edictum crudele Caeſaris ante biennium Wormatiae decretum, ut ſecta iſta Lutherana prorſus extinguatur. Et metuunt nonnullae ciuitates imperii. Sed Chriſtus uiuit, qui et uincet et triumphabit.

Caeterum cum primo loquerer Principi Alberto Magiſtro ord. teut. et ille me de ſui ordinis regula conſuleret, ſuaſi, ut contemta iſta ſtulta confuſaque regula uxorem duceret, et Pruſſiam redigeret in politicam formam, ſiue principatum ſiue ducatum. Idem ſenſit et ſuaſit poſt me Philippus.

Ille tum arrisit, sed nihil respondit. Interim uideo homini placuisse consilium et optare ut quam primum maturaretur. Id autem tum commodissime fieret, si populus Prussiae cum proceribus suis instructi precibus eum urgerent, ut hoc ipsum attentaret; sic foret, ut causam haberet necessariam et pollentem ad opus quod optat. Et in hoc ni fallor, mittetur etiam Paulus Speratus. Cum ergo hic uideas ostium aperiri magno et mirifico operi Domini, quo exemplum quoque praeberetur aliis nostris Episcopis, qui uellent, et sine exemplo non audent esse primi, intelligis iam tui muneris esse, ut una cum Sperato et Amando aliisque ministris uerbi populum huc ducatis et accendatis et animetis, ut primum inuocent manum Dei, ut loco istius abominabilis Principatus, qui hermaphrodita quidam est, nec laicus nec religiosus, exoptent et petant iustae formae Principatum, et pertaesi scortationis urgeant precibus communibus et concordibus Magistrum ordinis, ut uxore ducta legitimum ex monstro isto faciat imperium.

Hanc autem persuasionem uulgi ne subita sit nimium et aspera, primo per insinuationem et quaestionem adoriri, ut proposito themate sc. postquam uideant ordinem istum esse hypocrisin abominabilem, pulchrum fore, si Magister ordinis uxore ducta et aliis item Dominis terram consentiente po-

pulo in politicam redigeret. Vbi autem de hoc themate aliquantulum disputauerint, et contulerint, ac in hanc partem animi inclinari uiderentur, tunc palam et copiosis argumentis res esset urgenda et promouenda. Episcopo Sambiensi idem faciendi studium esse cuperem, sed quia prudentia hoc agi debet, uideretur tutius, ut uelut suspendens sententiam appareret. Tandem accedente populo conuictus argumentis sequeretur et ipsius autoritas. Verum dabit uobis Christus et in his et omnibus os et spiritum sapientiae, populo uero intellectum et sensum, ut re ipsa doceamini melius, quam meis praescriptis, quomodo hic agendum sit.

Annotationes in Deuteronomium edo, inscriptas et nuncupatas Episcopo Sambiensi. Sed compassionibus uexatus tarde promoueo opus. Tu me illius uerae gratiae fideliter commenda, et saluta Amandum omnes fratres in Domino. Viue et uale in Christo. Salutat te Philippus et Prior noster, quem nuper Satan iacto latere de tecto in foro uoluit extinguere, sed Dominus certe eum miraculose seruauit. Nihil dum auditur de Schatzgeyrio tuo. Murnarrus habitum cum suis mutauit gressus cum omnibus monasterium, factus ut aliqui dicunt, Canonicus regularis uel studentium ordinis in Collegio, sed manet tamen Murnarr, ut fuit.

Memento mi Brismanne, ut pro ſcholis puerorum ſtatuendis fideliter labores. Nam hic Satanas ſentit ſeſe peti, dum pueritiam ſibi eripi metuit et incredibili arte ſeſe paſſim opponit. Commendo ob id tibi hunc iuuenem Iohannem Haddamirum his rebus idoneum curandis. Vitemb. feria 2. poſt uiſit. Mariae 1524. *)

XXXIII.

Hieronymo Baumgartnero.

Gratia et pax in Domino. Etiam te, mi Hieronyme, cogor uti in multitudine pauperum. Hic iuuenis, Gregorius Keſer, petit alicubi conditionem, et a me literas poſtulauit ad aliquem Nurmbergenſem. Quamuis autem parum ſpei illi facerem, quod ſcirem, omnia ubique plena, tamen in Dei nomine illum dimiſi, qui etiam coruos paſcit. Caeterum ſi uis Ketham tuam a Bora tenere, matura factum, antequam alteri tradatur, qui prae manibus eſt. Nec dum uicit amorem tui. Ego certe utrumque utrique copulatum gauderem. Vale Wittemb. 12. Octob. 1524. **)

---

*) Act. Boruſſ. T. I. p. 793. Erleut. Preuſsen T. I. p. 247.

**) VN. 1730. p. 529.

XXXIV.

Nicolao Hausmanno.

Mihi non ſatis tutum uidetur concilium e noſtris cogi pro unitate ceremoniarum ſtatuenda. Eſt enim res mali exempli, quantumuis bono zelo tentata, ut probant omnia Eccleſiae exempla ab initio, ita ut in Apoſtolico concilio ferme de operibus et traditionibus magis quam de fide ſit tractatum. In poſterioribus uero nunquam de fide, ſed ſemper de opinionibus et quaeſtionibus diſputatum eſt, ut mihi conciliorum nomen tam pene ſuſpectum et inuiſum ſit, quam nomen liberi arbitrii. Si una eccleſia alteram non uult ſponte imitari in externis iſtis, quid opus eſt conciliorum decretis, quae mox in leges et animarum laqueos uertuntur. Inuitetur ergo altera ab altera libere, aut ſuis moribus ſinatur frui. Modo unitas ſpiritus ſalua ſit in fide et uerbo, quantumuis ſit diuerſitas in carne et elementis mundi. poſt Martini, (12. Nou.) 1524. *)

XXXV.

Nicolao Hausmanno.

G. et P. Vidit me et locutus eſt mihi uir iſte, ſed cum non urgeret me in cauſa ſua, quam-

---

*) Schelhorn. Ergötzlichk. T. II. p. 41.

tuis promtus essem, placuit et ipsi et mihi, ut tu pro eo apud consules, si opus sit agas, facturus omnia pro sua benignitate, quae posset. Vale et ora pro me peccatore. Witeb. f. 4. post Barbarae (d. 7. Dec.) 1524.

Fratri tuo Valentino iam antea a me scriptum est per alios postulatores. Saluta Dominum Mulphord.

XXXVI.

Georgio Raudt, Praedicatori in Plauen.

Gnad und Fried. Charissime frater. Breuibus accipe ab occupatissimo, si sic habet res, ut tuto et libere non queas illic uerbum sequi et dicere cogerisque impiis missis et ceremoniis seruire, consilium est, ut potius deserto loco abeas, ubi libere possis et prosis relicta illis ratione reddenda, qui resistunt. Sic et nobili Nicol. Sack scripsi. Sin manere potes tuta et salua conscientia, ne legibus illorum seruias ullo modo, (quod non credo eos ferre posse, nisi nouo miraculo) mane in nomine Domini. Ora pro me. Multis ego unus et solus respondere cogor, ideo noli mirari breuitatem meam tot scribendis libris et epistolis obrutissimus.

Vale Witemb. feria 3 post Oculi (d. 1. Mart.) 1524. *)

XXXVII.

Johanni Scoto, insigni Equiti.

G. et P. in Christo, Seruatore nostro. Quamprimum de connubio scribere ordirer, amice charissime, anxia solicitudine torquebar, ut ne quod iam fit, eueniret mihi, plus operae scilicet hic insumendum, quam tota alioqui causa mea. Quodsi ubi cerui, ut est in prouerbio, cornua reponerent, obseruari possit, adeo diuinum connubii statum esse, in hoc uno abunde satis ante conspectum statueretur, quod princeps mundi Satan tam uarie huic aduersetur, ac totis uiribus opponat sese, ut adeo non imminuatur sed augeatur scortatio. Literis iam olim mandaui, tam ingentem esse obedientiam, quae parentibus praestatur, ut liberis citra horum scitum et adsensum neque despondere neque coniugio se iungere debeant. Atqui nimium pergunt huc parentes, ut etiam impedire et remorari atque (cuius rei nuper historiam percensuisti mihi) pro sua libidine cogere incipiant, hunc uel illam assu-

*) Extat in Io. Paul. Oettel. Hist. aller Pastorn und Superintendenten zu Plauen, Schneeberg, 1747. 8. p. 16.

mere sibi iugalis uinculi consortem, quo nec animo nec amore rapiantur. Quare uerum fidele consilium meum in lucem edere compellor, si fors cuipiam unde refocillatio aut solamen, quod Christus faxit, obueniat. Vale in Christo. (1524.) *)

XXXVIII.

Joanni Brismanno.

Gratia et pax in Christo. Redditae sunt litterae tuae binae, frater in Domino. Prioribus respondendi non defuit animus, cum eas semper ob oculos posuissem, ut dato nuncio scriberem, sed nullus fuit. Nunc scribo per hunc, qui posteriores attulit. Episcopum tuum, insigne illud Christi uas ex me quaeso quam humillime salutabis. Nec omittam, ubi sese tulerit tempus et res, quin nomini eius aliquid dicem, modo ferre possit, ut meum nomen illius nomen pro Christiano uehat, quod est hodie, ut scis, plus quam ipsum odium. Gratiae sint Christo, qui sic mirificat sanctos suos sibi et per te dignatur sua opera implere, qui et te benedicat, ut crescas in multa millia.

---

*) Dedic. Luth. Duorum de matrimonio thematum analytica, annexa Ej. in VII. cap. I. ad Corinthios Exegesi, Argent. 1525. 8.

XL.

Johanni Brismanno.

Gratia et pax. Et me fefellit abitus inopinus nuncii huius simul et abiens et litteras petens, nec dum ex Christiano omnia audiui. Quare mi Brismanne, non potui nisi salutem tibi scribere breuissimam. Saluta quaeso D. Sambiensem. Deuteronomius currit. Quid Carlstadio responderim, uides. Amandum abiisse gaudeo. Nam et hic Satan per istos prophetas sic proficit, ut iam Nurmbergae aliquot ciues negent, Christum aliquid esse, negent uerbum Dei aliquid, negent baptismum, et Sacramentum altaris, negent ciuilem potestatem; solum confitentur esse Deum, ideo capti sedent in carcere. Huc scilicet it Satanas, spiritus Alsteteri et Carlstadii.

Vale et ora pro me. Speratum cum sua carne saluta. Frater Leonhardus (Kaiser) a Bauariae Duce captus iam post biennium tandem per Christum liberatus apud nos est.

Witeb. Sabbato post purificationem, 1525. *)

XLI.

---

*) Acta Boruss. T. I. p. 799.

XLI.

Joanni Brismanno.

Gratiam et pacem in Christo. Nuptias tuas fortunet Christus, mi Brismanne. Scripsi antea de Martino Cellario et nunc latius ad Principem Adelbertum simul de ceremoniis instituendis, ideo breuissime nunc tecum ago tot scribendis obrutus. Si Carlstadii uel Zuinglii uenenum de Sacramento ad uos peruenerit, uide, ut uigiles. Fuit homo miser apud me clanculo Seruetus, nunc totus orbis ei angustus est. Ita ubique petitur, ut ab hoste coactus sit petere praesidium. Tractaui hominem quantum potui humaniter atque iuui, sed sensu suo non cedit etiam conuictus, ut solet hoc genus spirituum. Tu ergo caue eum et dogma eius. Ego inueni omnia uana esse in ipso, in hac re praesertim.

Munzer et Rustici sic apud nos euangelium oppresserunt, sic animos Papistarum erexerunt, ut uideatur de nouo esse prorsus erigendum. Qua causa et ego iam non uerbo solum sed et opere testatus euangelium Nonna ducta uxore in despectum triumphantium et clamantium Jo! Jo! hostium, ne uidear cessisse, quamuis senex et ineptus facturus et alia si potero, quae illos doleant, et uerbum confiteantur.

Dux Georgius, Marchio Elector, duo Brunſuicenſes habito conciliabulo coniurauerunt, reſtituturos ſeſe eſſe omnia. Princeps noſter Iohannes a Duce Georgio magnis conatibus petitus adhuc fortiter ſtat, ita ut homo ille pene inſaniat et rumpatur ira. Landgrauius Haſſiae ſimul fortiter ſtare mihi creditur, licet a Brunſuicenſi Duce, ut legato conciliabuli, pulſetur. Ciuitates imperiales conſultant iam, ut cum Euangelio maneant, licet minantibus maxime iratis Principibus. Summa, facies eſt maioris belli futuri et quod Principes impios ſit oppreſſurum, niſi Deus cauerit.

Dux Georgius mortuo Friderico putat ſe omnia poſſe, ſed Chriſtus pulchre adhuc eum ridet, magis riſurus, ſi uobiſcum uos oraueritis. Ruſticorum res quieuit ubique, caeſis ad centum millia, tot orphanis factis, reliquis uero in uita ſic ſpoliatis, ut Germaniae facies miſerior nunquam fuerit. Ita ſaeuiunt uictores, ut impleant ſuas iniquitates.

Saluta maritam nouam, et Patrem reuerendiſſ. Epiſcopum Sambienſem. Iam quia prolixe non potui, uolui breuiter ſcribere. Tu quoque uale in Domino, et ora pro me. Witeb. poſt aſcenſionis 1525. *)

---

*) Acta Boruſſ. T. I. p. 800.

XLII.

Matth. Aulbero, Reutlingensi.

Gratiam et pacem. Redeunt ad uos fratres uestri charissimi, mi Alberi, utinam tam aedificentur ex nobis, quam grati et iucundi nobis fuerunt, non solum ipsorum propria fide et pietate, uerum et iucundissimo nuncio, quo nos ualde laetificaueruut, cum referrent statum Ecclesiae uestrae adhuc integrum et purum ab istis nequitiis spiritualibus. Raro enim talia audimus, sed undique sectas, uim, nequitias Satanae, a dextris et sinistris, cogimur et uidere et pati. Dominus ipse qui coepit in uobis opus suum et hactenus tutatus est, conseruet et perficiat usque in diem suum, Amen.

Ceremoniae mutatae apud uos placent. Mutauimus et nos, et iam edimus propter uicinos id flagitantes. Tu uero caue, ne denuo tuas mutes ad exemplum nostrum, sed perseuera, ut coepisti, ne offendantur infirmiores subitaneis et frequentibus innouationibus. Tantum uide, ne te nimium oneres legendo, et assiduitate nimia fastidium auditoribus tuis parias. Verum hoc docebit ipse usus et diligentia auditorum. Gratia Dei tecum, Amen. Wittembergae, 4 Ianuarii 1526. *)

---

*) I. G. Füsings Ref. Hist. von Reutlingen p. 102.

XLIII.

Nicolao Gerbelio.

Laus et gratia Deo. Quod saltem te cum reliquis aliquot, inter quos et Leonicerum meum esse gaudeo, seruarit Christus ab istis, qui oderunt nominari Schuermagister (f. legendum Schuelmagister *)) cum tamen esse pergant, atque unum prae caeteris Oecolampadium ea contagione captum, magno dolori est, quod hunc uirum rebus nostris tractandis, tum peritia linguarum, tum autoritate non unius hominis, Deus idoneum formauit, qui o **) gratia (f. legendum per gratiam) conuertat eum. Caeterum quod petis, ut in eos scribam, et coenam Domini tractem, summi est apud me uoti, sed haetenus neque animus, neque res permiserunt. Christus aderit in tempore. Interim expedit, illos totos prodi, et in publicum effundi. Facile est ueritati, qui Christus est, uincere, etiamsi modicum oporteat eum crucifigi, et non uideri. Ego gratias ago Christo meo, qui non solum me confirmat in sana sententia, sed et illos spiritus non siuit nisi specie eaque infirma, magno relicto triumphi loco, sua prostituere. Vale. Costam tuam saluta, eam-

*) E mea coniectura legendum potius Schwermgeister.

**) Legi debet sua gratia.

que ad Pentecosten mihi commatrem inuita, si filia fuerit; si filius, tu esto compater, si Deus fauerit, et dignum me fecerit. Saluta Leonicerum meum. Salutat te mea catena. Vale. Witenb. f. 5. post Iubilate (d. 26. April.) 1526. *)

XLIV.

Nicolao Hausmanno.

G. et P. in Domino. Migrauit a nobis uirgo Hanna ad suos, ideo non est, quod eam exspectet Magistram schola, fortasse et non subiret id officium, nec par et idonea uideretur. Aliam uero nullam habemus tam eruditam. Philippum Habacuc propheta onerasset, sed is uix intra octiduum absoluetur. Noua nulla sunt, niso quod oppidum nostrum muniatur, quanquam nullos hostes nouimus. Salutat te uicissim mea costa, Ionas et Rector et omnes nostri et nostrae. Catena mea mordicus tenet uitrum abs te ornatum et donatum in memoriam tui. Alioquin M. Iohannes Eisleben petitione sua extorsisset. Vale suauissime Nicolae, Sabbatho post Trin. (d. 2. Iunii.) 1526. **)

---

*) Wolfii Conspect. suppell. epist. p. 51.

**) Extat germ. T. XXI. Opp. Luth. Walch. p. 1359.

XLV.

Nicolao Hausmanno.

G. et P. Si causa istius uiri est, ut narratur, mi Nicolae, arbitror eum licite retinere uxorem istam, quandoquidem uir prior eam deseruit tanto tempore et se ipsum simul cum illa exposuit omnibus periculis. Sic sentio. Visitatio incepit, profecti enim sunt ante octiduum D. Ieronymus et M. Philippus, in opus istud Christus dirigat eos, Amen.

Roma uastata est miserabiliter sic regnante Christo ut Caesar pro Papa Lutherum persequens pro Luthero Papam cogeretur uastare. Omnia scilicet seruiunt Christo pro suis et contra aduersarios. Nihil praeterea noui. Salutat te mea Ketha et Ioannulus meus. Vale in Christo. Passus sum grauem syncopin ita, ut caput adhuc cogatur feriari a legendo et scribendo. Die Margarethae (d. 13. Iul.) 1527. *)

XLVI.

Johanni Brismanno.

Gr. et P. Vix tibi ipsi credo, quantum spectatae fidei apud me habearis, mi Brismanne, adeo miror, quod scribis, in sesquianno non accepisse

*) Germ. extat T. XXI. Opp. Luth. Walch. p. 1367.

te a me litteras. Longe aliter me, nisi fallat memoria mea mihi dicit, sed forte intercipiuntur litterae. Apocalypsis a te missa sub typis iam mittitur. Nam is qui attulit, nunc demum sollicitauit. Spiritus Sacramentarius immodice saeuit, cui Christus occurrit infirma sua, ut solet, fortitudine. Ego illos in me prouocaui proximo libello, nam me nominatim fere omnes petunt et prouocant. Tu ora pro me, ut Christus nobis confusis solus glorificetur. Indignari Proceres libello meo de militibus, recte accipio. Nam et hic nobiscum etiam egregios ex nobis offendit. Verum carnem habemus, sensum nostrum tangi male nos habet. Vale in Christo, et saluta omnes nostros. Pomeranus grauiter aegrotat, ac te salutat, optans ut pro se ores. Sexta Maii, 1527. *)

XLVII.

Nicolao Hausmanno.

Saluus sis in Christo, carissime et uenerabilis Nicolae. Venit ad nos Magister Stephanus Roth, ex quo intelliges omnia nostra. Scis, quod uir sit notus et probatus et amatus, nec egens apud te ulla commendatione. Te per Christum oro, ut

*) Acta Boruss. T. I. p. 801.

adiuues me aduersus Satanam et angelos eius, quos habeo infensos ultra modum, ne me Christus deserat, quem hactenus ad Euangelium suum promouendum elegit, sed glorificet nomen suum in infirmitate mea siue per mortem siue per uitam. Non frustra haec peto, quia opus est mihi fratrum precibus et auxilio, in quibus Christum meum ueneror et adoro. Vale in eodem I. C. f. 2. post Barth. (d. 25. Aug.) 1527.

XLVIII.

Georgio Spalatino.

G. et P. Redit ad te nuncius Einsidelorum, mi Spalatine, nostris utinam salutaribus et efficacibus consiliis oneratus. Salomo dicit: si stultum in pila contuderis, non tamen recedet ob eo stultitia. Et pius si cum stulto agit, siue rideat, siue irascatur, non habet requiem. Orandum est, ut Dominus illuminet eum, si dignus est, sin ut faciat Dominus per eius tyrannidem, Euangelii prouentum, donec ueniat hora eius. Muntzeri spiritus non desinit spirare, ut uidemus in illis monstris, quorum tu unum de Erphordia scribis. Christus assit nobis miseris tot et tantos satanae impulsus sustinentibus. Amen. 24. Ianuarii, 1528. *)

*) Kappe Nachlese P. I. p. 97.

XLIX.

Wilhelmo Prauesto, Pastori in Kilo, suo si fieri potest, magno amico. *)

Gratiam et pacem et quod tibi prodesse sperabas, mi uir, ut bonis uerbis apud me simulares, te esse tantum ueritatis amatorem. Ego scilicet simplicitate columbina uiperinis tuis blanditiis credens studui tibi Euangelium commendare, sed ut uideo, lupo commendaui ouem. Sed noli tamen errare. Mendacium non subsistit diu, ueritate autem confunditur cito. Quamobrem desine meas literas ostentare et tuam insaniam contra me confirmare. Scit enim conscientia tua quod nequiter et dolosis uerbis eas literas a me impetrasti. Et quod ad hostem Euangelii sic non scripsissem nisi deceptus, id quod iam testatus sum apud tuos, et nisi desieris, ego palam in orbe nequitiam tuam reuelabo. Esto sane Melchiorem noluerim tumultuari, at credidi te esse placidum et sincerum uerbi doctorem, ut multo minus uoluerim te in uerbi ministros etiam unquam inquietiores debacchantem et furentem concitare et animare, sed potius admonere et retinere,

*) Extat in Henr. Muhlii Diss. hist. theol. p. 149. et B. N. Krohnii Geschichte Melch. Hofmanns, p. 120.

si sciuissem hostem esse te, miror sane quod uos leuissimos papistas delectet causam uestram dolis et mendaciis agere. Quin (uel cum) pudescitis tandem, quod nihil potestis in uestro negotio aliud quam fallere et mentiri, quasi lux non sit etiam tenebras reprehensura. Habes, quid uelit haec admonitio mea, en si sapis desiste ab hoc genere astutiarum contra nos quae tibi non succedent, ac permitte cursum uerbo Dei. Vidi tuos uirulentos rythmos in me scriptos, sed si pergis, recident in caput tuum. Vale et resipisce. Sabbatho post Iubilate (9. Maii) 1528.

L.

Balthasari Thuringo.

G. et P. in C. Venerabilis in Christo frater, Balthasar. Fugatus hic bonus uir Iohannes, uir ex Franconia boni testimonii et nominis notus, cum sit a Deo in consortium ministerii uocatus, et in eo uersatus usque huc, iam uacuus, quaerit locum, pro eo ministerio implendo. Cogitauit itaque ad tuas partes proficisci, si qua ei forte conditio pateret. Quare si poteris ei adesse, facies in Christo. Nam durum et iniquum est, qui hactenus uerbo seruiuit, nunc omisso eo ministerio aliud tentare opus. Idque ego suasi, sicut soleo suadere. Videns fore cum tempore, ut operarii fere nulli

sint in messe Domini futuri. Si non poteris, remittes eum in nomine Domini. Gratia Christi tecum. 14. Augusti 1528. *)

LI.

Gerhardo Villscampo **) de Sanctis Lampadi.

G. et P. in C. Et litteras et pannum, mi Gerharde, Lampadarie, accepimus cum uoluptate, quod a tanto candore animi et fauore cordis ad nos missum est munus, ut recte fecerim, ac fecisse mihi uidear, qui te nescio quo fato aut consilio Lampadarium appellarim. Totus enim luces candore et ardes fauore in ista fragili testa corporis tui. Denique perpetuo singulisque noctibus utimur in hunc diem Ketha mea et ego tuis lampadibus, dolemusque uicissim, nihil a nobis muneris esse, aut posse mitti, quod et nostri memoriam apud te aleret, pudetque uehementer, nunquam ullo saltem cartaceo munere te donatum, cum id facile posse-

*) Schlegelii uita Io. Langeri p. 200.

**) Potius Wiscampius siue Viscampius Xantius a patria Xanten, Santen in Ducatu Cliuensi ita dictus; Pater domus fratrum apud Heruordiensos Westphalos, qui in primis euangelica sacra suscepit. Cf. Hamelmanni Opera p. 1036 sqq.

mus. Sed cum affunt, nihil est recens editum: interim praeueniunt bibliopolae marsupium tuum. Tamen non committam, quin aliquando uel fasciculum aliquem librorum mittam, siue tardior siue simul cum bibliophoris ueniam. Atque nunc misissem Iesaiam recens natum germanum, sed ista distracta sunt exemplaria, ut ipse nullum pro me habeam, deinceps capsam pro te et Montano *) ordinabo, in qua pro uobis imponentur uobis mittenda exemplaria, quaecunque edita fuerint.

Hermannum de Lippia, quem commendasti, libenter suscepi obtulique et studium et operam meam, ubicunque opus fuerit. Salutat te mea Ketha charissima reuerenter cum filiolo, nam Elisabetha nobis ualefecit ad Christum per mortem profecta ad uitam. Gratia Dei tecum. 20. Octob. 1528. **)

---

*) Iacobus Montanus Spirensis Heruordiensis scholae Praefectus, de quo nid. Burckhardi fata lat. linguae in Germania p. 275.

**) Extat Cl. I. fasc. II. Bibl. Bremens. p. 138. c. n. I. L. Bunemanni.

LII.

Martino Gorolitio, Brunſuicenſis Eccleſiae Antiſtiti.

Laetus ac gratus accepi tuas literas laetiſſimas et gratiſſimas, mi Martine, non tantum pro officio quod praeſtiterunt, ſed multo maxime pro nuntio, quod ſaluam Eccleſiam ueſtram opus Pomerani noſtri ſignificant. Chriſtus confirmet, quod operatus eſt in omnibus nobis, Amen.

Doctori Leuino ab Emden ſcripſi, cui et tu ages pro me gratias diligenter. Ceres tua Torgenſis felici uſu et ea laude eſt conſumta, quali nulla apud me unquam. Nam ſoli mihi et uiſitatoribus ſeruata et famulata eſt, qui non ſatis eam laudare potuerunt, ſuper omnes quas unquam guſtaſſent. Ego uero pulchre ruſticus nunquam tibi gratias egi, et Aemiliae tuae, quin ut ſum icodeſpotes, rerum negligens, oblitus et ignarus fui, eum in cellario meo eſſe, donec famulus denuo ſuggereret. Ago igitur adhuc gratias magnas pro dono illo certe utili iucundo et pro tua opulentia maximo et ſummo. Saluta omnes fratres, inprimis Aemiliam tuam et filium, ceruam ſcilicet iucundiſſimam et hinnulum gratiſſimum. Dominus te benedicat, et creſcere faciat in multa millia, utroque ſemine ſpiritus et carnis. Duci Georgio

respondi fortiter, ut puto uidisse te iamdudum, ne nimio siderent, superbirent, et iactarent adulatores et adoratores sui. Modo in parando catechismo pro rudibus paganis uersor. Tu pro me cum tuis diligenter ora et in Christo bene uale. Datae 15. Ianuarii, 1529. *)

LIII.

Nicolao Amsdorfio.

Reuertuntur ad nos Alemanni, mi Amsdorfi, et gratias agimus, quod pestis non modo restincta est, sed etiam tam mitis fuit. Ketha mea collegerat nasturtium tibi mittendum, sed gelu irruente frustratur. Missura est alias dum potest, unum iam rogo, ut meo nomine expedias. Licentiatus Premsel tandem practicam quaerit artis suae, is me rogauit, ut se tibi commendarem diligenter. Idem fecissem cum Ebelingo Alemanno, ni casu impeditus essem. Sed tu facies eo plus operae et officii pro bono et quieto illo homine, ut nosti. Ambit autem medicinae salarium in uestra urbe, migraturus illuc, si per te impetrare potest. Quicquid effeceris, respondebis mihi. Ducis Georgii libellum in me, et meum in ipsum credo tibi uisos esse,

*) VN. 1720. p. 894.

de me etiam nostri iudicant, quod nimis indigne et dure tractarim hostem illum tyrannissimum, ego uero mihi uideor multa illi condonasse longe maiora merito tot furoribus suis. Landgrauii causa Wormatiae scribitur paulo melius habere opera nostri Cancellarii, Deo gloria et gratia. Quaeso ut pro me ores Dominum, et Ecclesiam tuam ad orandum fortiter urgeas, quia Satan rugit, saeuit, furit, undique nos petens. In Christo bene uale, die 21. Ianuarii 1529. *)

LIV.

Johanni Hesso.

Gratiam et pacem in Domino. Furere nostrum tyrannum etiam aliunde experimur, quanquam fabro nullo monente, quanto magis urgente, quo magis opus est optimi uiri sedula oratione. Nam sub Papatu non sumus assueti oratione, cum satanam sua in pace seruantem nemo sentiret, omnia lusus et iocus erant. Nunc uero excitatus per fortiorem superuenientem serio furit ac saeuit, nec sine causa: multa enim patitur a nobis in direptione armorum suorum. Confidamus igitur, maior est, qui nobis est, qui dixit: confidite, ego uici

*) VN. 1720. p. 896.

mundum. In mundo preſſuram habetis, in me uero pacem. Amen.

Fuit in noſtris regionibus magnum chaſma, quo nox tota illuminabatur, ſabbatho poſt Epiphanias, hora nona, uiſumque eſt per multas regiones. Quid ſignificet, Deus nouit: nobis dicitur: nolite metuere a ſignis coeli. Impii uiderint, quid contemnant. Ego capite iam laboro plus octiduo, uertigine et bombo agitor, an ſit fatigatio, uel ſatanae tentatio neſcio. Orate pro me quaeſo, ut fortis ſim in fide. Chriſtus uobiscum ſit potens et ſuauis conſolator, Amen. Tabulas polonicas et literas auratas accepi et tradidi. Salutant te noſtri fratres omnes. Ultima Ianuarii 1529. *)

LV.

Nicolao Amsdorfio.

Gratiam et pacem. Mirifice me laetificaſti iudicio tuo de libello meo contra Ducem Georgium. Nam ad unum me damnant omnes, nec quid ille in me peccauit, curant, nec ſpectant, illum uero quaſi innocentem. Non oſtendo literas tuas illis, eo quod uolunt, te quoque damnari mecum. Perſuaſus ſum ne deinceps reſpondeam tyranno, quia et

*) VN. 1720. p. 896.

et ipse testatur, uelle deinceps me relinquere. Mira de Ferdinandi tyrannide et exactionibus hic dicuntur. Ora pro me cum tuis, ut Dominus me roboret, et non deserat in manu satanae. Dominus Iesus seruet et benedicat te, Amen. 12. Febr. 1529. *)

LVI.

Nicolao Hausmanno.

G. et P. in C. Mirifice gaudeo, mi Hausmanne, de uisitatione uestra sic feliciter per gratiam Dei consummata. Spes est reliqua omnia pro Ecclesiarum utilitate cum tempore futuro donanda esse. Litanias nos in templo canimus latine et uernacule, forte utriusque nota seu tenor edetur. Ieiunia, excommunicatio et aliae quaedam tales ceremoniae suo tempore sequentur. Quanquam pro exordio iam satis sint. Ego uertigine seu capite hactenus laboraui propter ea, quae angelus Satanae operatur, tu ora pro me Dominum, ut confirmet me in fide et uerbo suo. Duci Georgio amplius non respondebo. De Turcico bello spero breui edam libellum; esset iam dudum editus, nisi priores sexterniones intercidissent incuria famulorum, unde difficile fuit ideam atque conceptum reperire,

*) VN. 1720. p. 897.

ideo sic dilatus fuit. Salutat te Ketha mea reuerenter, item et D. Jonas omnesque nostri. Pomeranum uix ante Pentecosten rediturum timemus eo quod uxor partum expectat circa Pascha. Christus sit tecum Amen. 13. Febr. 1529. *).

LVII.

Nicolao Hausmanno.

G. et P. in Domino. Non est absolutus Catechismus mihi, Hausmanne, sed breui absoluetur. Libellus contra Turcam iam euditur absoluendus ante Judica Christo fauente. Ego fere assidue cogor sanus aegrotare uexante Satana, quo fit, ut multum impediar a scribendo et aliquid agendo, quod sociis uti oportet, ne solitudine pericliter. Tu ora pro me. Dimisso Paulo uestro scripsit et Spalatinus de cogitando, quis substitui debeat. Ego constitui, si alium non habetis, nostrum Conradum Cordatum esse idoneum. Nam uir est eruditus fortisque hactenus fidei testis fuit. Fiat quod Domino placeat. Vale et ora pro comitiis futuris. Salutat te mea Ketha ualde. 3 Martii, 1529. **)

---

*) Germ. T. XXI. Opp. Luth. Walch. p. 1369.

**) Germ. T. XXI. Opp. Luth. Walch. p. 1370.

LVIII.

Balthasari Thuringo, Pastori Coburgensi.

G. et P. in C. Hunc uirum Johannem Weblinger tibi, optime Balthasar, commendo diligenter, quem modo omnium rogatu pro Pastore Hilperhausensi Dominus e nostro medio mittit. Pauper est, et Carnaria (f. Carinthia) propter Euangelium eiectus, apud nos exigua mercede alitus in officio praedicatoris in arce. Quare feceris recte, si diligens fueris, ut ex aerario ecclesiastico sumtus ei restituantur, quos hic mutuo sumere coactus est, ne alieno stipendio isthic seruiat. Nosti nostram tenuitatem, quae undique profugis aduenientibus exhauritur quotidie, ut omnibus prouidere non possim, imo nisi profugos et exules hos hodie haberemus, deficerent et nobis personae idoneae. Spero et Papistas propediem sensuros esse eum defectum, tot exhaustis ministeriis et optimis profligatis. Tu quaeso pro me ora, et Ecclesiam diligenter mone, ut oret pro Comitiis istis et omnibus rebus Germaniae, quia Satan ruptis uinculis furit et saeuit. Gratia Dei tecum, Amen. Wittenb. Dominica Laetare (d. 7. Mart.) 1529. *)

---

*) Schlegelii uita Jo. Langeri p. 199.

LIX.

Wenceslao Linco.

G. et P. in Christo. Binas literas accepi, mi Wenceslae, nouitatum plenas, ego uero Moab meum contemnere coepi, non responsurus ultra maledicis eius. Erasmus facit sese digna, quod Lutheranum nomen, sub quo iam uiuit solo tutus, sic insectatur. Cur non it ad suos Hollandos, Gallos, Italos, Anglos? Er reucht Maeuse. Parat sibi quidem his adulationibus locum, sed non inueniet, inter duas sellas cadet. Quodsi Lutherani sic eum odissent, ut illi sui; tum uero periculo sui capitis Basileae ageret. Sed iudicet Christus hunc ἄθεον, Lucianumque Epicurum.

Nihil noui apud nos. De uisionibus in Bohemia iactitatis nihil est certi, multi negant. Chasma uero, quod hic fuit, me uidente quoque Sabbatho post Epiph. hora octaua uesperi, certum est, multis locis usque ad oceanum uisum esse. Praeterea in Decembri igneum coelum supra templum summum Vratislauiae in nocte fuisse, scribit Doctor Hessus, atque alio die uisas esse binas contignationes et igneas, in medio earum igneam scopam. Ego diem extremum istis ignibus in foribus esse significari arbitror. Ruit Roma, ruunt Reges, ruunt Pontifices, et plane mundus collabitur, quem-

admodum ſolet magna domus mox caſura minutis rupturis primum ruinam ſuam inchoare niſi quod Turcam, ut Ezechiel uaticinatur de Gog et Magog, in ſua ſumma uictoria oportet inueniri gloriantem et perdendum cum ſuo ſocio Papa. Ora pro me peccatore, et ſaluta Dominum Abbatem, meque eius precibus commenda. Chriſtus ſecundet partum uxoris tuae. Gratia tecum. Dominica Laetare (d. 7. Mart.) 1529. *)

LX.

Caſparo Aquilae Paſtori Saalfeldenſi.

G. et P. in Chriſto. Etſi tu dignus es, mi Caſpar, cui quam longiſſimas ſcriberem literas, tamen multitudo ſcribendarum literarum et aliarum rerum non ſinit ſatisfieri dignitati tuae. Proinde boni conſules, et animum meum pro opere accipies. Vicem tamen mearum literarum, ſi uoles ac petes, facile implebit uirorum iſtorum literas has ferentium copia, qui tibi abunde referent, quae apud nos ſunt et aguntur; et noſti, quod digniſſimi ſunt non ſolum fide ſed et omni honore et amore. Tu uide, ut pro me Dominum ores, ne deſerat me in dentibus Satanae. Saluta te Jonas noſter, Ke-

*) VN. 1720. p. 1063.

tha mea, et omnes noſtri. In Chriſto quam optime uale. Wittembergae, Dominica Laetare (d. 7. Mart.) 1529. *)

LXI.

Amsdorf.

G. et P. Pecuniam accepimus, caeterum ſcripſeramus nuper, ut ad nos uenires, de quo nihil meminiſti in tuis litteris, ac ſi litteras non acceperis, quare ante Paſcha te non expectamus. Fritzhans non uidi, neque ſcio, an hic ſit, ſciam uero ſtatim. De ludimagiſtris duobus, et ſi quae alia mandes, diſpiciemus libenter, et reſpondebimus. Cauſa Fritzhans quae ſit, forte apparebit ipſo apparente. De comitiis ſpero bene, neque concilium ualde nocere poterit, ſi fiat, quamuis fieri mihi non ſit ueriſimile neque credibile. Turca imminet, hic erit reformator, metuo, ira Dei miſſus. Ego depoſitus ſum ab officio uiſitandi ac mira arte impeditur per Satanam illud opus. Spero tamen ſtatim reſuſcitandum, agam enim pro Plozicenſibus uirginibus quicquid poſſum. Longicampianus defunctus eſt poſt horrendam impatientiam mira Dei miſericordia ſuauiter mortuus. Ora pro me pec-

*) VN. 1720. p. 1066.

catore, mi Amsdorffi, et in Christo ualidissime uiue. Datae 15. Mart. 1529. *)

LXII.

Nicolao Amsdorfio.

G. et P. in Domino. Ex his literis, mi Amsdorfi, intelliges, quod Dux Holstein super te a nobis petit. Sed quia hoc nec tutum nec pium esse arbitror, ut a Magdeburga tam subito rapiaris; non uidetur esse consultum, et alia ratione illi seruiendum. Mitto tamen ideo literas, ut tuis saxis et truncis in Senatu ostendas, et simules te urgeri, et uelle et oportere, an forte sic moueri queant ad sensum recipiendum, et cogitandum de alendis scholis et educandis pueris, quod ut quam maxima serii specie facias te rogo uehementer, ac si tam boni sunt, sinas te uix maximis precibus retineri. Nam dubito, an dolituri sint de tui auocatione. Vale. Longicampianum abiisse te scire oredo: obiit et Marcus Schartta in Hessen. Vale, die Palm. (d. 21. Mart.) 1529. **)

---

*) VN. 1721. pag. 8.

**) VN. 1720. p. 1064.

LXIII.

Nicolao Amsdorfio.

G. et P. in Domino. Placet ualde, quod ſaxa tua ſic tentaris, atque praeter fidem tales inueneris. Ego certe occaſione iſta accepta eis craſſe et confidenter ſcribo, monens et hortans ad promouendas literas et ſtudia. Tu fac quod facis, et urge idem opus, quantum potes. Ceterum Bruno ſponſus juſſit, ut ſignificem tibi diem nuptiarum ſuarum, nempe feria 4 poſt Quaſimodogeniti adque eas nomine ſuo te inuitarem. Erit et feria 2 poſt Quaſimodogeniti in domo mea ſponſa, uel potius uxor Gerſa mea a Quoſſe. Quodſi ſimul Ketha mea pareret, eſſes tu certe futurus pauperior, ſi omnia iſta conciderent. Quare accinge non ferro aut gladio, ſed auro et argento et ſacco in omnem euentum, quia ſine dono te non permittemus liberum abire. Ex Spira nihil adhuc noui adeſt. Audietis autem omnia coram. Vale in Chriſto, et pro me ora. Feria 2 Paſchat. (d. 29. Mart.) 1529. *)

LXIV.

Nicolao Hausmanno.

G. et P. Reddidit mihi literas tuas D. Stephanus noſter, mi Hausmanne, chariſſimas iucun-

*) VN. 1720. p. 1066.

diſſimas, maxime quod ſpei eſſent plenae de proſpero Cordati noſtri miniſterio futuro, et tibi uirum placere ſignificarent. Dominus Jeſus benedicat uos ambos, hactenus bene exactos, ut ueniatis cum gaudio propter tantos manipulos ueſtros, quorum pretioſum ſemen tam diu ſeminatur in lachrymis et miſeria, Amen. Sic enim fieri neceſſe eſt, ut ex nihilo faciat omnia Deus, ex deſperatis certiſſima, ex contemtis glorioſa, ex opprobrio laudatiſſima, ex peccato iuſtitiam, ex morte uitam, ita ex afflicto Hausmanno laetum ac gratum filium. Ipſe enim eſt, qui conſolatur humiles et afflictos, ait Paulus. Gratias quoque ago charitati tuae ſinceriſſimae, quod et mei non es immemor ſiue ſolando ſiue orando. Chriſtus rependet tibi uicem abunde. Noua praeter haec nulla habemus. Stormus iſte, quem miſiſtis, nondum eſt mihi uiſus. Ex confeſſione eius auguror, hominem eſſe laeſo cerebro, uel Satana furente agitato. Ideo parum ſpei eſt, eum poſſe Chriſto reuocari. Dominus miſereatur eius, Amen. Muncerus tenetur, nondum abolitus eſt. Vale et ora pro me. Ferla 5. poſt Quaſimod. (d. 8. April.) 1529. *)

---

*) Extat germ. T. XXI. Opp. Luth. Walch. p. 1371.

LXV.

Gerardo Heckero, Th. Doctori in monasterio Augustiniano in Ossenbrugge Westphaliae.

Laetus et gratus accepi literas tuas, Vir clarissime, hoc nomine iucundissimas, quod purum et constantem animum tuum erga doctrinam Dei testarentur. Christus nos in unitate illa spiritus sui usque in diem illum gloriae, incontaminatos ab immunditia ista prophanorum spirituum, quos Satan contra nos misit in mundum, ut fallat incredulos et ingratos, Amen.

Adolescentem, quem P. T. mihi commendauit, quantum possum iuuabo; etsi inopum copia abundet in nostra altissima paupertate. At Christus est diues satis. Commendo me tuis precibus, uir sancte Dei, quia peccator ego et daemonibus multis obiectus in multa infirmitate. Dominus Jesus sit tecum, Amen.

Nondum quicquam nouitatis ex comitiis Spirensibus accepimus. Fama est autem de maximo terrae motu in Carinthia et Istria, qui castella, urbes, regiones absorbuerit, turrimque S. Marci Venetiis in quatuor partes ruperit. Si uera sunt, diem Christi praecurrunt haec monstra. 13. April. 1529. *)

---

*) VN. 1756. p. 297.

LXVI.

Justo Jonae.

G. et P. Ternas literas a Jona Visitatore accepi, quarum nulli respondere potui. Bonum est uidere te in medio regno Satanae, ut simul uideas, quantum distet regnum Christi. Ego toto tempore, quo abfuisti, catarrho grauissimo ac pene mortali uexatus, nec hiscere nec mutire, sed tussire potui, ut de uoce reditura desperarim, nec adhuc finis. Laborant eodem multi alii, sed non aeque mihi, siue quod Maluatico sophisticato in gratiam Amsdorfii hausto irritauerim, siue quod concionandi instantia pulmone fatigato sic illum exacerbarim. Ita iacet et friget schola. Theologiae uoce sublata e cathedra Creutzingerum substituam, interim Pomeranus uocatus iuit ad Holsteinensem Ducem pugnaturus cum Carolstadio, quod me male habet. Sed aiunt Carolstadium perterritum isthinc aufugisse, et praetexere nescio quid.

Ex Spira nihil adhuc audimus. Pomerani uxor abortiuit, seu foetum mortuum, in ipso partu extinctum edidit. Scripsi ut statim redeat. Hamburgenses student eum perpetuo retinere, scilicet eam gratiam relaturi nostrae charitati. Domus salua, etiam me nec saluo nec uisitatore ualente. Quid me interrogas in casibus istis luculentis? sed ecce

in ista scheda sententiam meam. Saluta mihi Dominos Visitatores omnes in Christo, et ipse sit eritque nobiscum; Amen. Datae 14. April 1529. *)

LXVII.

Andreae Kaugisdorfio, Pastori Eilenburgensi.

G. et P. in C. Mulierculam mihi a te commendatam, mi Andrea, quo possum modo juuabo, si forte locum suum inuenire poterit. Rursus te oro, ut Nicolaum Foraneum, tuum conseruum promoueas, ut quam primum ad alteram parochiam concedat. Considerandum est enim, quod iam tempus est maxime opportunum, uillas et agros una cum reliquis domesticis officiis disponendi, praesertim, cum alium in locum eum habere dicantur populares eius. Nam ego tam subito in tam tenuem prouentum non habeo. Accipiant itaque quod offertur, satis diu illi seruiuit, plus quam dimidio gratis, quamuis dignus erat operarius mercede sua. Vale et ora pro me. Prima Maii, 1529. **)

---

*) VN. 1720. p. 1065.

**) VN. 1721. p. 9.

LXVIII.

Amsdorfio.

Ecce mandatum, quod ſcribis tibi eſſe a me mandatum, mi Amsdorffi, noli credere, quae iſte perfidus Sponſus ad te retulit, ego ſententiam tuam plane approbaui, et eum ad te rurſus remiſi etiam cum indignatione, ſcilicet ut coram te uel probet ſponſalia nulla eſſe (id enim contendebat) uel ducat, uel maneat innuptus in aeternum. Haec mea ſententia fuit. Nunc ſi ita eſt, ut tu ſcribis, cogendus eſt, ut ducat, uel coelibatu perpetuo puniendus.

De comitiis nec nos quicquam certi habemus. Expectamus quotidie Philippi Melanchthonis reditum. Catarrhus et tuſſis mea uix tandem inceperunt mihi reddere uocem. Heri et hodie legi Eſaiam, ſed ſemiraucus. Ora pro nobis. Datae 4. Maii, 1529. *)

LXIX.

Amsdorfio.

G. et P. in C. Litteras proximas de Sponſo iſto captioſo ad te datas ſcribebam aſſiſtente Ketha mea, quae ſtatim incipit ringi et dolere, et tertia

*) VN. 1721. p. 10.

hora fere post datas litteras enixa est filiolam saluam: sic opulenter benedixit nos Dominus, ut feliciter pareret, cui gloria in secula, Amen.

Nunc ergo, quod praesenti non audebam, absenti exhibeo his uerbis: Achtbar, würdiger Herr! Gott der Vater aller Gnaden hat mir und meiner lieben Kethen eine junge Tochter bescheret, so bitte ich euer Würden um Gottes willen, wollet ein christlich Amt annehmen, und derselbigen armen Heydin geistlicher Vater seyn, und ihr zu der heiligen Christenheit helfen durch das himmlische hochwürdige Sacrament der Tauffe. Sic esto Catechista filiae meae. Henricus Dichlensis, Praepositus Vicarius erit tuo interim loco. Dominus tecum. 5. Mali mane, 1529.

LXX.

Wenceslao Linco.

G. et P. in C. Horologium, quòd donasti, mi Wenceslae, uenit, et forte ex itinere fessum, aut noui hospitii insuetum aliquando quiescit. Sed uidetur rursus eum tempore cursum suum repetere. Gratias ago tibi, ego nihil habeo pauper, quod reddam. Nam libros, quos nuper edidimus, arbitror iam dudum ad uos peruenisse, suntque tales, ut doni appellatione non debeant dignari. Vetera enim sunt, alia forma prodeuntia, et familiam

meam auxit Dominus filiola Magdalena, matre salua et feliciter enixa.

Finita sunt iterum comitia, sed nullo pene fructu, nisi quod Christomastiges et Psychotyranni suum furorem non potuerunt explere. Quod nobis satis est a Domino impetrasse. Nam de Concilio quod dicitur, nihil est, quod speremus.

Est apud me uir quidam e Venetiis ueniens, qui affirmat, filium Ducis Venetorum esse in aula Turcae, ita pugnamus contra Turcam hactenus, donec Papa, Veneti, Gallus palam et impudenter Turci facti sunt. Denique refert, in exercitu Galli proxime ad Papam fuisse 800 Turcos, quorum 300 salui et taedio eius belli domum sunt reuersi. Haec monstra quia tu non scribis, arbitratus sum tibi ignota esse, mihi autem eis circumstantiis et scripta et dicta, ut uera esse credam. Media illa nox sic instat, in qua clamor audietur: Sponsus uenit, exite obuiam ei. Ora pro me, et uale cum carne tua, salutaque omnes nostros. 6. Maii 1529. *)

LXXI.

Justo Jonae, D. ac Archiepiscopo Misnensi et Saxonico.

G. et P. in Christo. Certe uiros esse uos uideo, qui Laurentium istum sic tractare audetis. De co-

*) VN. 1721. p. 11.

mitſis ferme eadem ſcripſit Caſpar Müller, et expectamus Philippum. Nata eſt mihi filiola, ut dicit Taubenheimius, matre ſalua et laeta adhuc, quaſi nihil perpeſſa fuerit. Chriſto laus et gloria. Jacobus ille Zieglerus magni nominis uir (neſcio an notis) e Venetiis miſit ad me uirum (ſ. Vitum) fratrem ſibi adoptatum, quem apud me habeo, donec Philippus redeat. Ex quo audiui, filium Andreae Criti, Ducis Venetorum, in aula Turcae agere non ſolum imperatorem Turcici exercitus, ſed et interiorem ſpondam lecti, ut ille ait. Prorſus et palam Veneti, Papa, Florentini, Gallus, Turcum ſuſceperunt ſocium — o monſtra! Denique in proxima Papiae obſidione dicit Gallum habuiſſe in ſuo exercitu 800 Turcas equeſtris, quorum 500 caeſi ſunt, reliqui domum redierunt. Hic mihi uide, quid mundus de Deo ſentiat. Hiſtoriam Clementis VII. ſimul miſit, qua lecta metui ea ipſa hora, ne coelum rueret, ſumma dies Chriſti in foribus eſt, differri non poteſt. Alia alias. Domus tua ſalua eſt. Aedificatio parietis tui tarde procedit, Meiſter Hanns inſperatis negotiis impedito. Obſecro ſi uacant parochiae, uoces Joachim Hundt et Wolff Holzwart, nam hi ungulas ſuas fugunt. Alter eſt e Marchia, alter qui uxorculam facie corroſam habet, e Cronwitz mihi remiſſus. Significa

mihi

mihi et latius eos deſcribam. Vale et ora pro me. Eſaiam lego, ſed nondum concionatus ſum, tam pertinaci catarrho, nondum ſatis domito, ſit Chriſtus uobiscum. Datae 6. Maii 1529. *)

LXXII.

Wenceslao Linck.

Scatus hic eſt, mi Wenceslae, quem tibi commendo, pulſus e patria, exul propter uerbum, uoluit ad te concedere, petiitque has literas meas ad te, ſi qua ratione poſſit ei conſuli. Videtur honeſto loco apud ſuos natus, et in ſcholaſtica theologia probatus et inſignitus. Lingua noſtra ſi poſſet loqui, facile fuiſſet eius opera uti. Igitur fac, ut decet nos facere. Nos eum retinuiſſemus in noſtra penuria, ſed habet cauſas, quibus aliud moneretur proponere. Librum Sapientiae transtulimus, abſente Philippo, et me aegrotante, ne ocioſus eſſem. Is iam ſub typis formatur, Philippi auxilio caſtigatus. Nam ea quae transtulit Leo Iudas Tiguri, forte Zwinglio autore, mirum quam nihili ſunt. Vale in domino, et ora pro me. Datae 25. Maii, 1529. **)

---

*) VN. 1721. p. 172.

**) Litt. Wochenbl. P. II. p. 371.

LXXIII.

Matthiae Episcopo Gadensi.

G. et P. in Christo. Reuerende Pater, et in Domino venerabilissime uir. Literis tuis cum petasone suillo acceptis mirum quam hilariter et iucunde in Domino afficiebar, quod intelligerem te iam senio confectum ante diem defunctorum euangelio Christi captum et illuminatum, quam gratiam Dei plane inter miracula refero, ut qui sciam, quam soleant tui ordinis proceres uerbo Dei resistere. Dominus Jesus, qui in te coepit opus suum, is perficiet. Quod oro et peto, Amen.

Proinde sicut tua paternitas desiderat me uidere, ita uicissim magna uoluptas in Christo mihi esset, uenerandos canos tuos uidere confessores Christi in haec turba procerum hostilium, audentes illis dissentire. Mihi sane fas non est, nec liberum istue proficisci. Dominus autem uelit, qui potest nos coniungere, uel una solum uice, qui R. P. T. misericorditer augeat et seruet, Amen. 28. Maii, 1529. *)

*) VN. 1721. p. 174.

LXXIV.

Nicolao Amsdorfio.

G. et P. in Christo. Nihil nouorum apud nos, quae tu non noris. Hos uero ministros uerbi Goslariae ad te misi, ut tibi ecclesiae Goslariensis rationem narrarent, quos quaeso benigniter audias et commendatos habeas. Boni et integri mihi uidentur esse dignique uiri fauore piorum: pertinet autem ad te quoque talia nosse, et praemoneri, ut qui primus ibi fundamentum ieceris pietatis, et non infeliciter superstruxeris. Deinde animabit pios et trepidos, ubi senserint nostrum in hac causa consensum et gaudium. Simul et Satanam cum suis organis uel confundet, uel saltem impedieţ. Foue itaque eos sereno uultu et consolare in uisceribus Christi. Nam qui sic metuunt scandala et sic soliciti sunt pro concordia, non possunt non optima praesumere in Christo. Christus te seruet ac saluet, Amen. Ultima Maii, 1529. *)

LXXV.

Justo Jonae.

Paries tuus adhuc lateres formandos expectat in fornace senatus. Nam praefecti lateres cecide-

*) VN. 1721. p. 175.

runt in ſpongiam. Cauſa qua? coram audies. M. Milichio deſpondimus Suſannam Moſuicen, ſorrorem uxoris Doctoris Auguſtini. Pomeranus ſcribit ſeſe breui uenturum, quo praeſente facilius potero uobiscum agere et laborare uiſitando, ſi tamen opus eſt. Philippus ſeſe macerat cura rei eccleſiaſticae et reipublicae usque ad periculum ualetudinis. Tu ora pro me et eo, ut ſatanam conculcet Chriſtus ſub pedibus eius. Saluta coepiſcopos omnes. 14. Iunii, 1529. *)

LXXVI.

Juſti Jonae.

G. et P. in Domino. Mihi ſane placet (niſi ad rem adeo pertinet) Stephanum hunc a uobis conſtitutum Paſtorem. Nec de Joachimo quicquam aliud ſentio, quam quod tu ſcripſiſti. Miror autem cur ad me talia referas, ſcilicet absque meo conſilio aut uoto. Nihil ualet uestra ordinatio? Benedictum Paulum ueniſſe ad uos ſpero. Dominus reſtituat choro Coteritium, ac ſaluos uos omnes et felices ſeruet, Amen. Gratias ago, quod Staupitianae Magdalenae ſic fideliter memineris. M. Georgium Mohr libens iuuero, ubicunque po-

*) VN. 1721. p. 358.

tuero, quanquam ignoro, an consultius sit eum Bornae manere tranquillo uitae genere, quam alibi rusticanae turbae misceri. Caetera ipse Stephanus forte, quanquam nihil praeterea sit, quod scribi possit, cum omnia ex Benedicto Pauli sitis intellecturi.

Carolstadius in Frisia laetus et triumphans diu consedit, uocauit literis binis gloriosis et gratulatoriis uxorem ad se: scilicet noua monstra nobis ibi cudet satan. Christus fortitudo nostra sit, qui laborantes et fessos nos roboret. Vere enim nos Hercules et Atlantes esse cogimur, adeo totus orbis nostris humeris incumbit. Nullus Episcopus, nullus Princeps suo officio fungitur, ut ille uel unam ecclesiam, imo unam animam, iste uel unam ciuitatem, imo unam domum curaret. Ad uexandam Dei uoluntatem omnes in unum furunt. Ora pro nobis. 15. Iunii, 1529. *)

LXXVII.

Wenceslao Linco.

G. et P. in Christo. Oro te, mi Wenceslae, ut coniunctis studiis, uiribus, tu et Osiander, me non derelinquatis: est enim partim et mea causa

*) VN. 1721. p. 359.

quae agitur, uidelicet: Wolff Hornung, qui has reddit, uocatus tandem ad Regensburgam in causa sua audiendus, nosse enim te credo, quomodo Marchio Brandenburgensis eius uxore abutitur uiolenter et impudenter. Ipso Hornungio, quia hoc probare noluit, expulso a domo, liberis, facultate et omnibus. Summa est, haec indignissima tyrannus iste ágit. Ego pauper pauperem hactenus foui et alui exulem et miserum. Es solt Stein und Fels erbarmen. Hoc autem peto, ut forensem aliquem patronum inuenire possit apud uos, qui cum eo uadat Regensburgam et adsistat misero. Sumtus ipse dabit, tantum iuues, ut aliquem inueniat. Fac quaeso hac in re ac si mea et tua ageretur. Nam Christi et iustitiae extrema diserte causa haec est: Es solt einer mit Füssen drein springen, und mit Faeusten drein schmeissen. Vale et uiue cum tuis omnibus in Christo. Quereris proximis literis, quod non responderim tibi ad quaestiones. Noli mirari, si responderi uoles, scribes et monebis iterum. Nam sic obruor quotidie literis, ut mensa, scamna, scabella, pulpita, fenestrae, arcae, asseres et omnia plena iaceant literis, quaestionibus, causis, querelis, petitionibus. In me ruit tota moles ecclesiastica et politica, adeo neque ecclesiastici neque magistratus suum officium faciunt. Vos Norimbergae in paradiso sedetis et luditis, quia ma-

giſtratum habetis, qui omnia facit et expedit nobis ſecuris et ocioſis. Nos uero etiam aulae negotiis uexamur, quae parum eccleſiaſticae cauſae ſunt. Der jüngſte Tag will und muſs kommen. Vale et ora pro me. 20. Iunii 1529. *)

LXXVIII.

Nicolao Amsdorfio.

G. et P. Ex literis tuis proximis intelligo, mi Amsdorſi, meas tibi non redditas eſſe, in quibus te certum feci, Doctorem Teutleben factum eſſe tuum affinem, et Sophiam, ſororem tuam, ſponſam eius factam, fauente etiam et gratulante ipſa Domina Principe Catharina. Rediit enim laetus et iucundus plenus amore et gratia in ſponſam ſuam, quam mirifice laudat et probat. His rebus feliciter geſtis ad Patrem profectus eſt, compoſiturus res ſuas, et de nuptiarum die tractaturus. Nam ſollicitus eſt in hac re, quod in aula nuptias ſibi parari narrat cum aliis duabus ſimul ad diem Martini. Hanc moram et ipſi et ſponſae grauem eſſe dicit, malletque uterque extra aulam nuptias maturari. Veniet ad te quoque de his rebus conſulturus. Noſti moram amantibus eſſe moleſtam et

*) VN. 1721. p. 360.

aliquando periculosam. Vale in Domino et ora pro me. Princeps hodie Torgam redit cum tota aula. Et Carolstadius denuo petit gratiam redeundi, sed semihumilis. Nescio quid faciam. Miseret me uxoris et liberorum. Certissimum esse dicunt ex Polonia Turcam aduentare, iamque attigisse Hungariam infinito exercitu. Datae Wittenb. 10. Julii, 1529. *)

LXXIX.

Nicolao Hausmanno.

G. et P. in C. Discedit a nobis hic Wolfgangus Rappell, **) petiturus Norimbergam suam, dimissus a nobis sua instantia. Certum autem est, quod te sit allocuturus, uacuum tamen non dimisimus, secundum nostram tenuitatem, laturi eius ualetudinem diutius, si ipse uoluisset. Nihil noui praeterea est, quod scriberem, maxime cum incertus essem, an domum reuersus esses. Ora pro me peccatore fideliter et in Christo bene uale. 19. Julii 1529. ***)

---

*) VN. 1721. p. 562.

**) Sine dubio est idem, qui a Melanchthone in tomo Epp. Lugd. p. 63. Aupell et ibidem p. 82. Aubeck uocatur.

***) Germ. T. XXI. Opp. Luth. Walch. p. 1372.

LXXX.

Wenceslao Linco.

G. et P. in Christo. Hunc Wolffgangum Rappolt, qui antea, ni fallor, a uobis ad nos uenit commendatus, uobis rursus commendo, mi Wenceslae, ad uos redeuntem. Nam licet eum uellemus retinere, ne alienos grauaremus, sicut alias eum et fouimus ex ecclesiastica stipe, tamen pertinaciter induxit animum, pro ualetudine curanda aerem et locum mutare. Itaque datis ei X florenis pro uectura et uiatico persolutisque debitis, ne uacuum dimitteremus, sicut uenerat, dimisimus. Dicit enim, Nurmbergae se habere cognatos, quorum opera confidit se adiutum iri. Quare si qua tua opus ei fuerit opera, ut istic uel in hospitali uel apud suos suscipiatur, opus feceris misericordiae; nam et nos eum sustinuimus pro nostra tenuitate satis diu, ut ipsemet noluerit omnino nobis esse oneri aut molestiae, licet charitate ferente bene affecti eramus ulterius eum alere. Adhibe etiam si opus sit, Osiandri studia et opera. Ora pro me peccatore misero. 19. Julii, 1529. *)

Vide quoque, ut pro pace publica facias orari. Nam Satan molitur magnum malum Germaniae per nostros in scandalum intolerabile Euangelii.

---

*) VN. 1721. p. 361.

LXXXI.

Joanni Brismanno.

G. et P. in D. Contigit tandem aliquando certus et fidelis nuntius ad te, et plus quam nuntius, Joannes Lohmüller, uestrae ciuitatis Syndicus et Legatus, mi Brismanne, ita ut nulla esset mihi excusatio, si ad te non scriberem. Ac primum gratias ago Domino, quod te isthuc uocauit et direxit, deinde quod partim gratus partim ingratus haberis. Sic enim et nobis accidit, ut plus negotii faciant falsi fratres, quam aduersarii, et nunc primum discere cogimur, quid sit, quod S. Paulus toties queritur de falsis fratribus. Qui cum ante nos et sine nobis nihil antea potuerunt, nunc implent illud Patriarchae sui encomion: qui manducat panem meum, leuat super me plantam. Sed cum tales Christus ipse Dominus, et ante eum Prophetae, et post eum Apostoli ferre coacti sunt, qui sumus nos, ut eadem forma recusemus conformes fieri eius, quem praedicamus, quando et ipsos non minus mouerit tenerrimi cordis homines scandalorum grauissima et turpissima facies, ut non obscure Christus hunc dolorem significet Matth. 18. ubi scandali autores tam atroci sententia ad profundum mare suspensa in collo mola adiudicat. Quare Psalmum consolatorem et hortatorem recole, qui dicit;

expecta Dominum, uiriliter agito, et confortetur cor tuum, et ſuſtine Dominum. De me referet omnia Lohmüller cariſſimus et quae apud nos geruntur oculatus teſtis.

Vocauit nos Landgrauius Haſſiae ad diem Michaelis Marburgum, tentaturus concordiam inter nos et Sacramentarios, Philippus et ego; cum diu recuſaſſemus et fruſtra reluctati eſſemus, tandem coacti ſumus improbitate eius promittere nos uenturos, nec dum ſcio, an profectio procedet. Nihil bonae ſpei habemus, ſed inſidiis omnia plena ſuſpicamur, ut gloriam referant uictoriae, quemadmodum ſub Ariano ſeculo uidemus tales conuentus ſemper plus nocuiſſe quam profuiſſe, et latius Arianos gloriantes ſua ſparſiſſe. Vocati ſunt et Oſiander, Nurmbergenſ. Joh. Brentius et alii, ſed ipſi fortiter recuſant uenire. Quicquid fiat, tu pro nobis ora, ut Chriſtus nobis ſalutus regnet, Amen.

Noua praeterea nulla habemus, niſi quod peſtis illa Anglica paſſim timetur, et coepit hic quosdam pauefacere; ſed Dei gratia quieuit pauor. Ego corpore utcunque ualeo, ſed animo infirmus ſum, ueluti Petrus fide laborans. Tamen fratrum precibus adhuc ſeruor, ne ſuccumbam. Commendo me tuis orationibus et rogo, ut Eccleſiam ueſtram ſollicitetis, et urgeatis ad orationem pro euangelii curſu ac pro pace politica. Juuenis ille Haſſiae inquie-

tus est et cogitationibus aestuat. Dominus seruauit nos ipso biennio a duobus maximis incendiis, quibus tota Germania flagrasset, nisi Deus noster misertus potenti et mirabili manu obstitisset, et consilia turbasset. Ita undique nobis plus est periculi a nostris quam ab aduersariis. Neque adhuc quiescit Satan sanguinarius spirans caedes et sanguinem, ideo orandum est diligenter. Saluta costam tuam, et meo nomine admone, ut patienter ferat peregrinationem tuam. Legat Sarae historiam et Rebeccae, gaudeatque illarum exemplo, sese a Deo dignatam propter uerbum, et erit ei pax et gloria. Similia praemia illis speramus, nec tamen similia illis patimur. Christus tecum, Amen.

Saluta fratres omnes, praesertim ueterem commilitonem Andream Knopken fidelem in Christo ministrum. Witeb. pridie Cal. Augusti 1529. *)

LXXXII.

Nicolao Hausmanno.

G. et P. in Christo. Etsi tu mihi nihil es questus, mi Nicolae, tamen aliunde intellexi, quam nihil tibi profuerit mea erga Principem promotio: sed fortis esto, dabit Deus his quoque finem. Aula

*) Acta Boruss. T. I. p. 803.

diaboli ſedes et cubile eſt, etiamſi optimus ſit Princeps. Eques iſte aſinus forte in cauſa fuit, et ueſter ille huius amicus. Ego ſi aliud fieri non curabunt, et conſilio et auxilio ero, ut Cygneam excuſſo puluere de pedibus relinquatis, et alio migretis tu et Cordatus ſimul. De Paulo cogitauero, tantum interim ſuſtinete et eſtote Atlantes in iſta natione peruerſa et praua. Annotationes Cellarii in Eſaiam non hic reliquiſti. Diligenter luſtrantes nusquam comperimus. Forte aderit ipſe propediem Joannes Cellarius, iſtac tranſiturus ad uocationem ſuam, et te ſalutaturus. Is adhuc ignorat, amiſſas eſſe annotationes, ſi forte interim reperiri poſſint. Dominus ſit tecum ſemper, et ora pro me paupere Chriſti peccatore. Salutat te Ketha mea reuerenter. 1 Auguſti, 1529. *)

LXXXIII.

Nicolao Hausmanno.

G. et P. in Domino. Venit hic M. Johannes Cellarius, mi Nicolae, cuius tu Eſaiam ſiue amiſiſti ſiue reperiſti. Significaui enim ei, et tu latius cum eo loqueris, nec eſt quod multa ſcribam. Habes huius uocem uiuam omnia tibi narraturam me-

*) VN. 1721. p. 563.

lius, quae hic aguntur. Literas proximas tibi redditas credo, in quibus rogaui, ut fortis esses ferendis daemonum et hominum nequitiis. Wenn der Strick am hertsten hält, so bricht er gern. Dominus tecum, Amen 5 Augusti 1529. *)

LXXXIV.

Justo Jonae.

G. et P. in Christo. Hunc uirum, quem in Olsniz Pastorem constituistis, mi Jona reuerendissime, et carissime, uolui his testibus meis literis ad uos uenire, cum iam uobis querulari statuisset, quod nihil habeat, unde uiuat, et operatur quidem, sed sine mercede! Prospicite igitur, ne fame pereat, siue ad tempus siue perpetuo istic sit acturus. Mihi sane uidetur humiliter et non ualde profunde doctus. Accedit tentatio famis, qua forte ad insaniam posset impelli, neque enim satis firma mente esse uidetur.

Philippo nostro abstulit dominica proxima Dominus filium Georgium; hic cogitare potes, quid nobis sit operae et curae, ut hunc hominem tenerrimi et patheticissimi cordis solemur. Mirum quam eam mortem filii ferat grauiter, antea tali casu non

*) VN. 1721. p. 564.

exercitatus. Tu quantum potes, ora pro eo, ut Dominus eum consoletur, deinde epistolam scribas pro tua rhetorica consolatricem. Scis, quanti referat hunc hominem uiuere et ualere. Nos omnes cum eo aegrescimus et moesti sumus, praeter mea propria et quotidiana. Sed Deus humilium et afflictorum nondum uincitur, licet ualde et semper infirmus sit, alias alia, ubi moeror aliquando quieuerit. Vale et saluta reuerenter coepiscopos tuos in Domino. feria 3. post assumtam Mariam (17. August) 1529. *)

LXXXV.

Nicolao Hausmanno.

G. et P. in Domino. Nolui hunc baiulum, mi Nicolae, litterarum mearum inanem ire ad uos, etiamsi nihil magni haberem, quod scriberem. Pestis illa Anglica dicitur apud nos et in Zerbst grassari: multi putant eam et hic apud nos grassari. Ego autem non credo. Praefectus noster seipsum imaginatione fecit infirmum, cum nihil pateretur mali praeter cogitationes. Nam si ea principia essent uera istius morbi, ego tribus annis uel ultra eum saepius habuissem, et hac nocte sudaui cum angu-

*) VN. 1721. p. 565.

ſtia expergefactus. Et coeperunt me quoque uexare cogitationes, quibus ſi ceſſiſſim, iacerem ſicut alii iacuerunt martyriſantes ſe ipſos. Haec ſcribo, ut mecum horteris populum, ne ſic puſillanimes ſint, et ne cogitationibus ſuis accerſant morbum qui nondum adſit. Nos multos ueluti per uim excitauimus, qui ſe in ſudorem iam poſuerant, ut Aurogallum, Blichardum, D. Bruck, M. Chriſtianum et alios, qui nunc ridentes dicunt, ſe adhuc forte iacere, niſi eſſent excitati. Non quod contemnendum eſſe ducam hunc morbum, ſed quod diſcernendum ſit, quando uidemur potius imaginatione et pauore, quam reipſa et contagio in illum cadere, et imaginatio facit caſum, animique affectus in corpus redundant. Caeterum ora pro me peccatore, et ſi hoſpes tuus adhuc adeſt, ſalutes eum nomine meo. Chriſtus Dominus ſit tecum, Amen. 27. Auguſti, 1529. *)

LXXXVI.

Wenceslao Linco.

Gratia Dei tecum, mi Wenceslae. Scribere cogit ad te rumor nouae peſtis, quam uocant Anglicam. Sed tu uide, ne facile credas, nec ſinas popu-

*) VN. 1721. p. 565.

populares tuos terreri. Multa uana in eó feruntur negotio tam de nobis, quam de aliis. Libellus remedii contra hunc morbum editus caúſa eſt, ut multi cum incipiunt ſudare, mox pauore adiecto credant ſe eo arripi, qui nunquam ſudarunt. Magdeburgae 800 aut 1000 coeperunt ita ſudare; omnes autem reuixerunt, niſi quos uiolentia caloris per uim iſtam concitati ſine morbo extinxit, ſcilicet 20 aut 30. Et iam uident iſtud ludibrium pauoris. Sic apud nos multos, atque adeo me ipſum eo pauore pulſo me liberaui. Et nunc ſumma pax eſt gratia Dei nullo adhuc mortuo. Satanam ſic delectat nos terrere et pauefacere. Tuis ergo conſule, ne paueant, atque ſi etiam aliquis ea imaginatione uexaretur, ſudet, ſi libet. Sed non ultra, quam ferre poteſt complexio, alia eſt res, ſi uerus morbus accideret: nam hi plane nullo, ut audio, poſſunt redimi remedio. Caeteri, qui imaginatione uexantur, et pauore, omnino reſurgent, niſi qui uiolentiam tam diuturni caloris ferre non poſſunt. Tu uale in Chriſto et ora pro me. 29. Auguſti, 1529. *)

---

*) VN. 1721. pag. 716.

LXXXVII.

Nicolao Gerbelio, iuris Doctori Argentin.

G. et P. in Christo. Quantum profecimus in concordia dogmatum hic Marpurgi, intelliges, mi Gerbeli, tum ex ore, tum ex scheda uestrorum legatorum. Nos sane cum nostra satis fortiter defenderimus, et illi multa de suis cedentes, uno isto articulo de sacramento altaris pertinaces dimissi sunt in pace. Quod fecimus, ne nimis mungendo sanguinem eliceremus. Caritatem et pacem etiam hostibus debemus. Sane denunciatum est eis, nisi et hoc articulo resipiscant, caritate quidem nostra posse eos uti, sed in fratrum et Christi membrorum numero a nobis censeri non posse. Tu iudicabis, quid fructus hinc natum sit, certe scandali pars non minima tolli mihi uidetur, ubi contentio scribendi et disputandi publice adimitur, quin tantum effecturos nos esse non sperabamus. Vtinam et ille reliquus scrupulus per Christum tandem tollatur, Amen. Vale, mi frater, et ora pro me, Marpurgi 4 Octob. 1529. *)

---

*) VN. 1721. p. 718.

LXXXVIII.

Friderico Myconio.

G. et P. in Christo. Charissime in Domino frater Friderice. Per Christum te oro et obtestor, ut res istas, de quibus in Isennaco nobis fecisti opinionem maximae fidei et cupiditatis, quam primum expedias. Hoc est de monacho illo in excommunicatione mortuo et prophetante, fore, ut illi ipsi, qui aderant, uisuri et audituri essent eum, qui ea doceret, quae ipse docuisset et sensisset. Hanc inquam historiam uide ut plenis, multis, totis et superfluis uerbis nobis scribas, et mittas nihil omittens. De libro sub lateribus sepulto, et quod nomen sit eius sacerdotis, et ubi sit, qui eum librum adeptus sit. Scis enim mihi in hac re multum esse situm. Quare nihil negligas te oro, sicuti ego te amo. Nam et solius tui causa, ne te contristatum relinquerem, abiens concionem habui Gothae, non habiturus alioquin, etiam omnibus urgentibus aliis. Ita rursus fac, ut hac tua opera fungar, utar, laeter, fruar. Valde enim cupio, imo ardeo eam habere hoc magis, quo absentior sum. Spero et praesumo de te, sicuti debeo, et sicuti tu dignus es. Atque si aliter non potest fieri, nuncium meo sumtu mittas. Saluta costam tuam

et liberos. Vale in Christo. Sonntag nach Galli (d. 17. Octob.) 1529. *)

LXXXIX.

Nicolao Amsdorfio.

G. et P. in Christo. Salui domum reuersi, mi Amsdorfi, et quae gesta sunt, referet tibi M. Georgius et Joannes Zirnigus. Magnifice tractauit nos Landgrauius. Ego sane aegri animi heri et uesperi uexatus sum. Angelus satanae, uel quisquis est diabolus mortis, ita me fatigat, forte cooperante Turcarum furia, quae in foribus est, uisitatura in uirga ferrea horribiles illas blasphemias impietatis uerbo aduersantium. Deinde plebis ubique intolerabilem ingratitudinem. Christus misereatur nostri, Amen. Tu ergo ecclesiam uestram ad poenitentiam et orationem admoneto. Tempus est. Necessitas urget. Alias alia, nunc trementibus et lassis digitis plura non potui. Altera post Lucae, (19. Octob.) 1529. **)

XC.

Nicolao Hausmanno.

G. et P. in Christo. Quae de Christophoro scripsisti, mi Nicolae, ad ipsum omnia retuli. Sit

---

*) VN. 1721. p. 870.

**) VN. 1721. p. 871.

Christina illi uxor in nomine Domini feliciter. De synaxi puerorum fortasse sermonem edam. Sed modo exhortationem Germanorum contra Turcae impetum meditor. Peccata nostra nimium prouocarunt oculos maiestatis; ideo merito poena nos uisitat. Exercenda tamen nihilominus est ecclesia uestra et nostra orationibus, lachrymis et poenitentia, sicut Niniuitae fecerunt. Quis scit si misereatur nostri et relinquat post se benedictionem. De nostro colloquio alias te certiorem faciam, quia et fessus sum animo et res prolixa est. Articuli editi sunt, in quos ultra spem concesserunt, satis humiles et modesti fuerunt. Etiam hic edentur articuli statim. Bene uale et ora pro me. Dominus sit tecum. Datae 20. Octobris, 1529. *)

XCI.

Wenceslao Linco.

G. et P. in Christo. De nostra Synodo Marpurgensi nihil est, quod scribam, optime Wenceslae. Nam ex Osiandro cognouisti omnia. Satis et plus quam satis se humiliarunt et fraternitatem nostram ambierunt. Dominus Nicolaus Amsdorffius mirum quam exultet et iactet opus Dei, quod illi

*) VN. 1721. p. 717.

ambierint fraternitatem nostram, nec obtinuerint, putatque abunde impletam Osiandri prophetiam, qua ante biennium Zwinglio praedixit, tanquam Achabo cuidam, futurae uictoriae spe insolescenti, intra triennium eum uel confundi, uel se non esse in Domino locutum. Scilicet quod illi, qui nos idololatras, carniuoras, Thyestas, et impanati et esculenti Dei cultores, capernaitas, condemnarint, nunc ultro talium fraternitatem ambiant, nec tamen digni habiti, ut obtineant. Et uera narrat, ueraque iactat, ut ipsi uidemus. Haec uolui indicare, ut nosses etiam nostrorum iudicium. Ego uix et aegre domum reuersus sum, sic me uexante angelo satanae, ut desperarim me uiuum et saluum uisurum meos. Sed Christus triumphat in istas potestates aeris, quare pro me orabis diligentius. Forte ipsum Turcam partim in isto agone cogor ferre et uincere, saltem eius deum diabolum. Summa. Mihi uidentur isti homines non mali, sed errore et casu lapsi in eam opinionem, e qua libenter essent erepti, si qua possent. Deus qui coepit, misereatur eorum et reducat eos, Amen. Turcam fugisse audimus. Sed Daniel VII. dicit, eum praeliaturum contra sanctos Dei, donec iudicium fiat, et antiquus dierum sedeat. Das moechten wir Deutschen uns wol lassen gesagt seyn! Ego sermonem edo bellicum exhortandi contra Turcas ex-

ercitus gratia. Vale cum tuis et ora pro me. die Simonis et Judae. (d. 28. Octob.) 1529. *)

Et D. Jonas et Philippus iunctis studiis librum contra Turcam propediem dabunt cum Danielis textu

XCII.

Johanni Langio.

Commendo tibi, mi Lange, hunc M. Wolfgangum tuae charitati, ut eum, si qua poteris, iuues ad aliquam conditionem uel officium. Bonus uir est, satisque eruditus, et in literis, et in pietatis notitia, aptus uel concionatoris, uel scribae, uel praeceptoris alicuius officio fungi. De Turca nosse te omnia credo, quomodo Vienna, supposito puluere, discesserit, et tamen desperans fugerit, et ingenti metu et miraculo Dei ex territorio nostro, h. e. Germaniae. Sed nos Germani stertimus semper. Vale in Christo, et filiolum tuum cum matre saluta, datis utrique multis suauiis et basiis. Die Simonis et Iudae (d. 28. Octob.) 1529. **)

---

*) VN. 1721. p. 872.

**) Litt. Wochenbl. P. II. p. 369.

XCIII.

Nicolao Hausmanno.

G. et P. in C. Fortis esto, mi Nicolae, in Domino, neque Turcas metuas nimium, Christus uiuit. Et spes est ex Danielis uisione, quam Philippus et Jonas iam edunt, ipsum Germania non potiturum esse, etiamsi nos carpet et Euangelii contemtum uindicabit. Nam miraculum est manifestum, quod Turca cessit loco et castris, et fracta est eius ibi praesumtio. Dies iudicii adest et destruet Gog Turcam et Magog Papam, utrumque, illum Politicum, istum Ecclesiasticum hostem Christus. Quod uero te quidam falso et acerbo conuitio sanctulum uocant, et rident, mirum quam ego tibi gratuler, qui dignus sis tanto satanae odio, et cum aliud non possit, uirulentiam linguae saltem in te exercet. Sed tu rectissime feceris, si rursus rideas eius uirulentam impotentiam, et iubeas eum stercora esculari. Neque enim acrius eum potes mordere, neque te gloriosius uindicare, quam si laetissimus rideas hos eius aculeos et morsus impotentes et elumbes.

Christinam sponsam opto gaudere. Quodsi et tu sponsam cuperes, laetus gratularer. Quodsi absque negotio continere et uxore carere potes, multo felicior eris et magis tibi gratulabor, non quod

coniugio detraham diuino illi operi et ſtatui, ſed quod, ut Paulus ait, turbae operum et perſonarum libero et ſecuro non debeam non gratulari. Chriſtus doceat et faciat te ſaluum eſſe et pro me orare. In quo bene uale. Vigilia Martini (d. 10. Nov.) 1529. *)

XCIV.

Nicolao Hausmanno.

G. et P. in D. Quoniam ad uos nondum peruenit ſermo contra Turcas, mitto hic duo uobis duobus, tibi et Cordato, exemplaria ſecundae editionis. Quod autem ſcribis, ſenatum ueſtrum pollicita praeſtiturum eſſe, ego nulla pollicita ſcio. Deinde etiam grauat me eiusmodi munera, quod ſint heroica et magnae aeſtimationis. Quibus apud homines reddor ſuſpectus de magna opulentia, quam cum deteſter neque ferre poſſem, ſi haberem, nomen etiam grauiter fero. Quare rectius faceres, ſi id, quo minus fieret, curares. Mihi nemo debet quicquam, niſi uictum et amictum. Ego uero omnibus debeo omnia.

Libellum de coniugii iuribus abſoluam hoc triduo. Cuditur latine libellus de ritu et religione Turcorum ante 70 fere annos editus. Nouum Te-

*) Germ. T. XXI. Opp. Luth. Walch. p. 1373.

ſtamentum ad finem correximus, quod ſub prelo plus quam dimidio formatum eſt. Poſt ad Prophetas reuertemur uertendos. Vale et pro me ora. 3 Januar. 1530.

XCV.

Nicolao Hausmanno.

G. et P. in D. Gratae fuerunt literae tuae, ſicuti ſunt ſemper, mi Hausmanne, ob illam inſignem, qua ſemper refertae ſunt, ſimplicitatem ſpiritus et beneuolentiam ſummam erga me. Velim autem ut ſemel mihi ſingula per ordinem ſignares, quae tibi in Eccleſia deeſſe uidentur. Ego enim neque omnia memini, neque uideo. Hoc ego pro memoriali haberem, et ob oculos uerſatum, data occaſione et otio forte conarer exprimere. Alias uarietate rerum turbatus de die in diem obliuiſcor et perit tempus. Nos iam Danielem formamus edendum pro ſolatio iſtius ultimi temporis. Jeremiam quoque cum reliquis in manum ſumſimus. Nouum Teſtamentum ad miſſam proximam Francofurtenſem dabimus, nouam ſcilicet furiam concitaturi apud Papiſtas. Nam Apocalypſin diligenti praefatione et ſcholiis pene commentati ſumus. Tu ſicut facis, pro nobis ora. Salutat te mea Ketha reuerenter, 25. Febr. 1530. *)

---

*) Extat germ. T. XXI. Opp. Luth. Walch. p. 1375.

XCVI.

Conrado Cordato.

G. et P. in D. Gut macht Muth. Quod uerum esse experior in te quoque, mi Cordate, qui cum forte sentias tua regna et opes, meum Vallensem remittere ausus es, tanquam indignum, qui inter gazas tuas latitaret, etiam forma uersum. Gloriaris denique de autoritate, qua sic polles, ut statim uno die aurifaber tibi obtemperans iussum tuum impleuerit, cum nostri ne in semestri quidem tantillum efficerent. Felix tu, sed uide, ne nimium prouoces Nemesin illam, quae felicibus libenter inuidet. Dabit tamen Deus, ut alio testimonio me declarem filii tui catechistam. Caeterum omnia nostra referent uestri, quos libenter et uidimus et cognouimus.

Carlstadius resuscitatur a Satana in Frisia, et agit nobis pro seruata uita dignas gratias, passim me et nostros criminatus infernalibus literis. Tu ora contra eum, ut reddat ei Dominus statim secundum opera sua. Nulla enim spes est, eum reuocari a blasphemiis et furiis in Christum posse. Saluta Christinam tuam cum filiolo tuo, et ualete omnes in Domino, Amen. 25. Febr. 1530 *)

---

*) Extat in Strobelii Miscell. P. III. p. 83.

XCVII.

Georgio Wicelio et Antonio Hermanno afflictis in Bilnitz.

Gratiam et pacem in Christo. Scripsi statim Principi, Charissimi fratres, pro uestra redemtione, misso cum nuncio proprio mea impensa, nam in carcerem uos coniectos esse plane ignorabam, praesertim tam grauem et crudelem. Quid culpae sit etiam ignoro, nisi forte Campani hospitium. Sed spero hoc forte impetrari, nam is Torgauiae jam fere dies xv fuit, miseraque monstra indicauit; quae mihi tamen nondum uisa, sed tantum relata sunt, ut diuinare non satis possim (obscura haec erant, quae sequuntur) quid utar, uel quid agam. Igitur ferte interim patienter, ego fideliter laborabo pro uobis, ut mox dimittamini. Valete in Christo, fer. 6. post Laetare (d. 1. April) 1530. *)

XCVIII.

Conrado Cordato.

G. et P. in Christo, qui consoletur te in ista humilitate et afflictione tua, mi Cordate. Quis enim alius possit hunc dolorem mitigare? Nam fa-

---

*) G. G. Zeltneri Hist. Crypto-Socinismi Altdorfini, p. 350.

cile credo, quae ſcribis, omnia, utpote expertus huiusmodi caſum, qui patris uiſcera uiſitat, penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingensque usque ad medullas etc. Sed rurſus meminiſſe debes, nihil mirum eſſe, ſi is, qui uerior et propior pater eſt, quam tu fueris, pro zelo ſuo maluerit filium tuum, imo ſuum apud ſe quam apud te eſſe. Tutior enim ibi quam hic eſt. Sed haec fruſtra. Surdo fabula recenti adhuc dolore. Quare nunc cedam dolori, quia luxerunt huiusmodi luctum maiores et meliores, quam nos ſumus, nec tamen reprehenduntur. Vtile tamen eſt tibi ſimul has quoque partes tentationis attigiſſe, et conſcientiae uim guſtaſſe, ut magis diſcas in te ipſo quae ſit uis uerbi et fidei, quae in his agonibus probata ſit. Nondum enim ſtimulum carnis et angelum Satanae. colaphiſantem ſenſiſti. Tantum glorioſa et fidenti innocentia, id eſt, bona conſcientia hactenus paſſus es. Haec ſatis. (Hieher wird geſetzt, was in Buddei collect. Epp. Luth. p. 84. ſteht:) Caeterum quod audio — molliores redde; und nachher folgendes: Saluta ſociam doloris tui, et interim etiam magis in Chriſto uiuente laetare, quam in filio mortuo, imo et ipſo uiuo ſed abſtracto triſteris. Salutat te mea Ketha et domus tota. 2. April 1530. *)

*) Strobels Miſcell. P. III. p. 84.

XCIX.

Justo Jonae.

G. et P. in C. Quamuis ego nunquam sperauerim, sicut nec optaui, ut libelli mei aliquid perpetui nominis uel autoritatis in mundo haberent, semper eo contentus, si me monitore uel ostensore mouerentur homines ad sacras literas legendas et intelligendas, si forte spiritu duce et magistro meliora ex ipsis plenis fontibus haurirent, quam ex meis exiguis riuulis lambere possint. Tamen cum uideam in tanta copia tractantium scripturas raros et paucos feliciter eas attingere, plurimos etiam maligniter in illis uersari, et pernitiose proprio spiritu eas explanare, incipio meos quoque libellos non ita odisse, neque illis adeo publicum inuidere, sicut antea semper feci.

Nam etsi ego nihil sum, denique et in mea germanica lingua stilo rudis ac barbarus, tamen illud quod est doctrinae christianae caput totiusque scripturae summa, nempe articulum gratiae, iustificationis seu remissionis peccatorum, certe diligenter et fideliter tractaui, ut in Domino ausim gloriari cum S. Paulo, imperitus sermone, sed non scientia. Tu ipse uides, optime Jona, quam frigeant, quam sint imperiti in hac re, quotquot hodie extra nostrum consortium sunt, et libros scri-

bunt, ſcripturasque explanant, ut ſi illis ſolis contingat Eccleſiarum adminiſtratio, nihil certius ſub ipſorum regno expectes, quam nouum quendam papatum, ubi Chriſtus denuo aboleatur, cum tota illa ſapientia noſtra, quae eſt notitia iuſtitiae fidei: fixa enim in eorum cordibus humanae opinio iuſtitiae, ſeu operum ſic pertinaciter eſt, ut eam a iuſtitia fidei ſeu gratiae nullo modo ſeparare queant. Nec mirum ſane. Ego in hunc usque diem multis et magnis agonibus expertus ſum in me ipſo, quam ſit res ardua et mere diuina, in animo humano eam notitiam inoleſcere, quod gratia et ſine operibus iuſtificemur, quodque ipſa ſola fides in Chriſtum ſit illa unica iuſtitia ſanctorum Dei, iuſtitia inquam, ut ſcholae loquuntur, formalis et perfecta. Excedit hoc nimium cordis humani captum et ſapiendi ac loquendi in terra modum. Quid illi facerent, qui nihil horum experti promittunt ſibi omnia ſola ſcripturarum lectione, eaque tam praeſumtuoſa, ut ſi ſemel aliquem librum legerint, ſibi plane perſuaſum habent, ſeſe rem totam comprehendiſſe. Diſcunt quidem haec uerba uſu quodam recenſere, fides iuſtificat, opera non iuſtificant, ſed ubi locos ſcripturae attingunt, in quibus haec res pulcherrime et fortiſſime traditur, ibi tranſeunt quaſi coeci, ſurdi et muti, ut ne uerbo quidem eius rei meminerint, ſcilicet hoc ipſo ſuo teſtimo-

nio fatis declarantes, quod uerbà didicerint a nobis, rem nunquam ſerio et uere ſenſerint. At ſcripturas citra hunc articulum tractare, eſt potius ſcripturas obſcurare uel deprauare, cum pene ſit nulla ſyllaba, quae non hoc agat, ut Chriſtus cognoſcatur. Iſta cum uideam, ut dixi, patior libens meos aliquot libellos optimis noſtri ſeculi libris tanquam cilicium ad purpuram tabernaculi adiungi, et in latinam quoque linguam ſpargi, inter quos hunc Jonam, quem tu uertis, numero. Nam ſtudio ſingulari hoc unum egi, ut uim et robur fidei chriſtianae inſigni aliquo exemplo etiam rudibus, quantum fieri potuit craſſiſſime ob oculos depingerem. Nihil ſane facilius in omnibus prophetis antea fuit, hac hiſtoria Jonae, ut quam ſibi quiuis unico aſpectu uel auditu perfecte cognitam praeſumeret. At nunc etiam ſummis in ſpiritu uiris talis eſt, ut fateri cogantur, ſe in hac necdum prima elementa perdidiciſſe, certe ego ipſe, qui commentatus ſum, paucula et uix ſtillas pro re tanta dixi, necdum tamen has ipſas meas ſtillas ſorbui, cum illi interim forte totum mare, quo Jonas abſorptus fuit, una cum ipſo ceto abſorbuerint, odio plane dignum genus hominum cui tam cito ſaturo in faſtidium uertuntur aeternae iſtae deliciae uerbi Dei, quibus ipſi angeli nunquam ſaturantur, ſed in aeternum deſiderant eas ſpectare.

Recte

Recte ergo facis, optime Jona, quod huic labori te dederis, uertendo meo commentario, maxime propter fidei, ut dixi, gloriam, quam cupio uehementer quoque modo, quaqua occasione celebrari, siue hoc fiat meo, id est, barbaro et rudi, siue tuo, id est, eleganti et splendido stilo. Inuabis certe rem sanctorum Dei, non infeliciter hoc studio, et sacrificium Deo suauissimi odoris offeres. Neque dubito, quin is meus commentarius tuo ingenio et eloquentia, quibus te Christus prae caeteris oruauit, reformatus, non solum melioribus uerbis loquetur, sed etiam rem ipsam opulentius et uiuacius lectoribus ostendet; eritque ut liber deinceps non meus, sed me spoliato tuus dicatur. Quod spolium non me offendet, sed delectabit, et rapinam hanc pro insigni misericordia acceptabo. Non adulor tibi, neque me ipsum palpo, dum sic loquor iactabundus, sed Zelus meus est, qui urit et comedit me uidentem, quam totus mundus hanc rem negligat, imo summis uiribus et studiis impugnet, etiam atque execratam et extinctam cupiat. Cum interim omnium linguarum eloquentia meras nugas, imo stercora celebret, tanta pompa, tantis buccis, ut nostra neque audire neque uidere prae illis pene ipsimet non permittamur.

Sed et tibi spero hunc laborem utilem fore, et mercede praesenti uersus Jonas uertentem Jo-

nam remunerabit. Solabitur enim te, et uulnus illud mortis sanabit, qua te percussum deserunt Fri-dericulus tuus iam quartus filiolus morte intempestiua raptus. Dicet enim tibi lugenti Jonas meus per singulas syllabas: Quid luges Jona? Hunc Jonam specta, quem profundum aquarum et ceti uenter perpetuo triduo perpetuis tenebris in mari toto circumuenit, sine fine mortis angustias sustinentem, si tamen sustinet, ac non potius sine intermissione uelut aeterna morte moritur, et morti victrici succumbit. Luctus tuus magnus est, sed qui lachrymis concedat, et lachrymis erumpentibus tandem mitigetur. Angustia mea uero non modo lachrymas non concedit, sed uniuersum exhaurit humorem, et medullas penitus exsiccat. Recordare ergo, Jona uiuens, luctus Jonae morienus; nectdum enim profundum mare et uentrem ceti expertus es, nisi tibi ipsi fingas lachrymas tuas meo mari profundiores, et dolorem tuum meo ceto immitiorem esse. Tum potius hoc quoque specta, quanta sit illa Dei incomprehensibilis misericordia, qui me tot mortibus toties peremtum non modo unum seruauit, sed saluum et laetissimum victorem et Dominum absorbentis maris et concoquentis ceti constituit. Quanto magis tuas illas stillas, quibus parum perplutus, non absorptus es, faciliore misericordia exsterget, et te alis donis fructus istius su-

perbum contemtorem et regem faciet, quanquam si ipsa iam accepta dona eius aestimes, tot et tanta inuenies, ut uere possint dici mare gratiae, qua obrutus es, et cetus misericordiae, qua comprehensus es, ut mihi collatus in meo mari, et ceto pereunti et uix halitum breuem et tenuem uitae trahenti penitus diuersus Jonas uidearis, in mari et ceto misericordiarum et bonorum uiuenti: et exultans et uix modicam stillam et lenem sibilum aquilonis sentiens. Sic, inquam, loquetur meus Jonas tecum, et plurima addet, meliusque perorabit, quam ego pro infantia mea significare possum. Quare uos duos Jonas committam inuicem, et Jonam Jonae commendo, sciens, quod, ut sunt aequiuoci nomine, ita erunt et aequianimes in pace et gaudio spiritus. Quod ut sit uobiscum et nobis aeternum, faxit ipse nostra pax et gaudium Christus Jesus laudabilis in secula, Amen. (mense Maio, 1530. *)

C.

Wenceslao Linco.

G. in Christo, Domino nostro. Petrum Steeknerum audiui et obtuli me quantum possum, ut ipse

*) Praefatio praefixa Lutheri libello: Enarrationes nouae in Jonam e germanico lat. per I. Jonam redditae, Hagen. 1530. 8.

referet. Mi Venceslae, filiam tuam defunctam, si unquam pater fuisti, scio iam te discere, quid sit patrem esse, praesertim sexus, qui ultra filiorum casum etiam habet miseriam ualde mouentem. Sed nosti ipsam iam esse in regno beatiorem nobis omnibus, qui scimus opprobrium hominum et ludibrium Daemonum, deinde theatrum mundi et tentatio peccati. Christus adsit nobis in illa hora, Amen.

De illo loco: ut quid baptizantur pro mortuis, adhuc nihil aliud habeo, quam quod est in folio uernaculi Testamenti mei. Non libenter audio, comitia in dubium uenire. Non est enim pacis signum, sed irae Dei, quam Pontifices ista nequitia prouocant, ut pereant, sed non sine nostro malo. Gratias ago pro munusculis missis. Ego sane in capite susurros passus sum ante aduentum uestrum, sed tamen melius habeo Dei gratia, nisi quod paree mihi laborandum et fortiter etiandum et speculandum est. Subtristior modo fui scribendo, accepi enim nuntium de morte patris mei senioris illius Lutheri carissimi suauissimique, et quanquam faueo ei tam facilem et pium in Christo transitum, ut liberatus ab his furiis et monstris mundi in pace quiescat, tamen uiscera mea nonnihil commouentur. Ex ipso enim dedit mihi Deus uitam et educationem. Gratia Dei semper tecum, Amen. Saluta Spenglerum, cui propediem

ſcribam laetior factus. Ipſo die Pentecoſt. (5 Iunii) 1530. *)

Nos hinc locum mutabimus propter frequentiam accedentium, cras moturi. Fuit enim apud nos D. Argula a Stauffen, et Hans Reineck a Mansfeld. Die Wallfahrt will zu groſs werden hieher. Principem offenderet.

CI.

Nicolao Hausmanno.

G. et P. in C. Mandaui meis Witebergae, optime uir, ut ad te Cygneam mitterent omnia illa noua, quae ex nobis acceperant. Ex quibus intelliges, quid agatur Auguſtae in comitiis iſtis. Quae ſpero omnia ad te perueniſſe, neque enim ſingula omnia ſcribere uacat. Tamen diligenter oremus, ſicuti fecimus hactenus, quomodo ſalui facti ſint patres noſtri. Non eſt abbreviata manus Domini, deinde cauſa non eſt noſtra, ſed ſua, exaudiet nos certe.

Scripſi et fratri tuo, Valentino, quod potui, ſolatium. Tu ei reddi literas curabis. Ego hic deſideo iam in Ezechiele uertendo laborans, aliquando et alia interim meditans. Papiſtae furunt

*) Krafft, zweyhundertjähr. Jubel-Gedächtn. p. 87.

certe fortiter. Sed Princeps noſter mirabili conſtantia donatus Chriſtum libere confitetur. Similiter et Marchio Georgius. Caeſaris clementia incredibilis mire praedicatur, bono angelo prouiſus a Deo uidetur. Caetera ex Witeberga. Tu interim et pro me orato, uir Dei, in cuius gratia uale in aeternum, Amen. Ex eremo ſabbatho poſt Johan. Bapt. (d. 25. Junii) 1530. *)

CII.

Johanni Agricolae.

Quod aduerſarii noſtri uertuntur ad conuitia et ad irritandum Caeſarem, ſignum eſt, quod ſentiunt, ſe deficere. Eſtque hoc Satanae uetus, ſed iam diu cognitum, ut, ubi ueritate uictus fuerit, detrahat animos ad alia, ut interim cauſſa negligatur, ſicut et fecit ipſum organum ſuum, Eckius, Lipſiae cum Carlſtadio et alias ſaepe. Noſtrum eſt contra urgere ipſam cauſſam, nec pati, ut diſtrahat nos uerſutus iſte ſpiritus. Scio, nunc demum recitant, quod dixerim Maulaffen, at non recitant, quantum ego Caeſarem et uniuerſum magiſtratum euexerim, cum illi aliud non facerent, quam maledicerent, fulminarent, execrarentur ipſas ma-

*) Extat. germ. T. XXI. Opp. Luth. Walch. p. 1376.

ieſtates, ut Petrus praedixit. Sed haec quoque ſtultitia uocum uult manifeſta fieri. Deus eſt qui infatuat eos, dixit meus Staupitius. Wen Got plagen will, dem thut er zuvor die Augen zu. Ich meine ja, er habe ſie ihm zugethan. Plane mihi non uidentur eſſe homines, ſed ipſi diaboli incarnati. Non credo indigniorem et inſaniorem poſtulationem a principio mundi auditam eſſe hac, qua ipſi petunt omnia reſtitui, poſtquam ipſimet faſſi ſunt, multa eſſe noſtra uera. Hoc enim quid aliud eſſet quam poſtulare, ut ipſa quoque apologia noſtra ab ipſis laudata et a nobis tota negata dicatur in toto orbe? Sane non leuiter me conſolatur iſta uindicta praeſentis Dei in ſuis hoſtibus. Ipſe coepit eos caſtigare, et non deſinet, donec conſumet; quandoquidem ſunt incorrigibiles, et tentant Deum audacter, furore et amentia incredibili percuſſi. Chriſtus Dominus noſter ſeruet te, et regat uos Spiritu ſuo ſancto. Ex eremo, feria 4 poſt Jacobi, (27. Julii) 1530. *)

CLII.

Hieronymo Wellero.

G. et P. in D. Feſtinantiſſime ſcribo, ne ſine reſponſo te relinquerem. Ego ſane conſulerem, ut

---

*) VN. 1721. p. 873. Litt. Wochenblatt, P. II. p. 301.

uocationem Dresdensem susciperes. Quod si tandem aliquod conscientiae periculum impenderet aut urgeret, facile est eam rursum derelinquere. Neque enim tuo iussu fiunt aut consensu, quae illic non recte. Seruiunt Joseph idololatris in Aegypto, et Jacob inter idola Laban in Mesopotamia, et Naeman in templo Niaroch Syriae. Quis scit, quo fructu illic iuuentutem Dresdensem in Christo beare poteris. His pauciis iuale, et Dominus te benedicat, Amen. Ex heremo. 8 Sept. 1530. *)

CIV.

Conrado Cordato.

G. et P. in C. Nec scio, nec habeo, mi Cordate, quid ad tuas litteras respondeam, adeo me obruunt istiusmodi querelae in toto nostri Principis ducatu. Genus est persecutionis clandestinae et nocentissimae, ita ministerium nostrum contemni, odio haberi et incessi, deinde et fame exstingui. Scilicet fortuna est haec uerbi, quod cum ad propria uenit, sui non ipsum recipiunt. Religionem in Jerusalem uicinae gentes non potuerunt opprimere, ipsi ueromet oppresserunt. Christus ipse nunquam fuisset crucifixus, si extra Jerusalem mansis-

*) Schelhorn Ergötzl. T. I. p. 624.

ſet. Non capit Prophetam perire extra Jeruſalem. Et non eſt ſine honore Propheta, niſi in patria ſua. Sic et modo fit apud noſtros. Foris hoſtes nihil eſſent effecturi ſuis furiis, Ideo intra noſtros ſub pace oportet contemtu, odio et fame uerbum extingui. Ideo etiam et poena huius malitiae mox ſequitur et magis ſequetur. Scilicet fames, quae coepit iam, et peſtilentia forte et gladius, ſi ita pergent. Wenn Gott deutſchem Land gern gnedig wolt ſeyn, ſo laſſen wirs nit geſchehen. Quare te oro, mi Cordate, ut uel perſeueres, his exemplis Chriſti et ſuorum ſolatiis, uel reſignes illis tuis diris Cygneis miniſterium. Neque ſpem neque rationem illam uideo illos mutandi. Si ſupplicemus Principi, et ille fideliter mandet, tamen nemo exequitur. Haec expertus et dolens loquor. Breui erit, ut iſti proceres Ducatum reddant uacuum iſtis miniſtris uerbi, quos ſola fame expellent, ut taceam iniurias. Alias plura. Nam corpore ſum ſatis imbecilli et aegro. Saluta filii Dominum Nicolaum Epiſcopum tuum, et in Chriſto bene uale, Amen. Ex Wittenberga, die Lucae (d. 18. Octob.) 1530. *)

---

*) Strobel. Miſcell. P. III. p. 88.

CV.

Joanni Brismanno.

G. et P. in D. Multis iam saeculis neque tu meas, neque ego tuas litteras uidi, mi Brismanne; cum uero hic Petrus Wellerus, meus domesticus, isthuc instituisset iter, iustum fuit, ut aliquando ad te scriberem. Rem euangelii spero uirtute Christi apud uos satis prospere habere, nihil enim antea audiui, cum tamen fama mali, si quod esset, utique ad nos dudum attulisset, etiamsi tu nihil scripsisses, Deus sit uobiscum semper, Amen.

Apud nos rumor et suspicio malorum est. Nam quod forte scire cupis, Caesar et Pontifices cum caeteris Principibus damnabunt nostros Principes publico edicto, quo mouebunt turbas, quod Deus auertat. Nam audita nostrorum confessione primum communis uox et sententia omnium fuit: nos nihil quidem docere contra ullum fidei articulum neque contra scripturas, sed non teneri apud nos Concilia et Patrum traditiones. In qua re diu laboratum est pro concordia, quae cum obtineri utrinque non potuerat, puta, quod illi prorsus in nulla re cedere uoluerint, nec nos possemus omnia probare, iussi sunt nostri omnia restituere in integrum, nec licuisse nobis quicquam sine Papae autoritate mutare. Sic re infecta nostri discesserunt expectaturi

ſaeuas et diras, ut periculum ſit ſeditionis magnae futurum, niſi Deus aliud prouiderit. Haec eſt ſumma de comitiis. Sunt tamen aliqui boni in parte aduerſaria nobis fauentes, praeſertim Epiſcopus Auguſtanus. Noſtri uero adhuc fortes ſunt Dei gratia, et minas illas expectant et non metuunt, optima ſcilicet cauſa et conſcientia freti. Chriſtus aderit, et furioſos iſtos tractabit digne, qui Turcam habent in ceruicibus et ante faciem, adhuc tamen inter ſe quaerunt bella et diſſidia. Summa, diabolus furit furens totus. Orate igitur pro nobis. Reliqua Wellerus omnia narrabit. Nam quis ſingula per omnia ſcribere poſſit.

Saluta omnes noſtros, et tuam ſimul carnem et prolem. Mea domus ſatis bene habet, niſi quod ego uiribus deſtituor, praeſertim capitis. Pomeranus Lubecam profectus uerbum docet. Sacramentarios, ſaltem Straſsburgenſes nobiſcum in gratiam redire ſpes eſt. Nam Bucerus mecum familiari colloquio Coburgi de hac re ut ageret, miſſus fuit, et ſi non fallit, quod dicit, admonui enim, ne ſimularet, ſpes eſt non parua. Orandum eſt contra diabolum. Dominus ſit tecum, Amen. Witeb. 7. Nouemb. 1530. *)

---

*) Act. Boruſſ. T. I. p. 806.

CVI.
Vito Theodoro.

G. et P. in Christo. Iam tertio literas a te accepi, mi Vite, et gratias ago diligentiae et fidei tuae, quod mihi omnia ista significasti. Nos uicissim nihil nouarum habemus, nam de Tyberis exundatione uos omnia certius nostis.

De tua causa non ego possum consulere, qui sum absens, et nullas circumstantias uideo. Optimum feceris, si praesentium amicorum consilium sequaris, qui omnia coram uident, et sciunt consulere. Sic festinabat nuncius, et ego occupatior fui, quam ut prolixe scriberem: neque hospiti nostro Coburgensi neque ullis aliis potui quicquam scribere. Successi in Pomerani labores, praedico, lego, causis distrahor, epistolis exerceor, ut nunc plura non licuerit. Tu meo nomine salutabis omnes. Tempus mihi ui et astu rapiendum est, si quid extraordinarie agere uolo. Caput meum adhuc susurrat, aliquando satis fortiter, praesertim horis matutinis. Alias omnes pulchre ualemus, Dei dono. Et salutat te totum sodalitium nostrum, meaque Domina Ketha, quod singulariter iussit, ne credas iratam tibi esse. Vittembergae, dominica post Martini (d. 13. Nou.) 1530. *)

---

*) Strobels Miscell. P. I. p. 165.

CVII.

Petro Hackenbergio.

G. et P. in C. Non ſolus es, mi frater in Domino, quem luſerit ſpes iſta comitiorum. Totus orbis fruſtra huc ſpectauit, ſuſpirans pacem. Et ecce pro pane lapidem. Quo magis probo tuum propoſitum de relinquenda iſta carnificina et carniuorina religione. Atque ſi pro conſcientia conſilio tibi opus fuerit mea opera, ubi euaſeris, offeram copioſe, omnia quae poſſum libenter impendam. Et placet quod aliquantulum pro ſumtu tecum auferre ſtatueris. Id tibi debetur, et Chriſtus hoc tibi hilariter donat, ex iſtorum Aegyptiorum tyrannorum, furum et raptorum facultate. Porro de parochia aliqua, ſeu miniſterio uerbi aliquo ne ſis ſollicitus. Magna ubique penuria fidelium Paſtorum: ita ut prope ſit, quo cogemur, proprio ritu ordinare ſeu inſtituere Miniſtros, ſine raſura, ſine unctura, ſine infula, ſine chirothecis, ſine baculo, et ſine thuribulo, ſine denique iſtis Epiſcopis. Dominus Ieſus, qui coepit in te opus gratiae ſuae, is perficiat usque in diem gloriae ſuae, Amen. Witteb. f. 6. poſt Luciae (18. Dec.) 1530. *)

---

*) VN. 1710. p. 67.

CVIII.

M. Joh. Sutelio, Ministro Dei Gottingae.

G. et P. in C. I. En, uenit unus concionatorum, optime frater, quos ante promisi, Johannes Birnstiel nomine, alter sequetur primo quoque tempore. Impeditur enim re rustica, qua se aluit hactenus. Difficilius potuit moueri loco, et donec res suas uendat, tardius potuit sese soluere. Obsecro autem te et omnes uos, ut concorditer geratis rem Christi, et in ceremoniis, quae fidem non laedunt, nullam moueatis quaestionem. Scis enim, rude uulgus facile occasionem capere contemnendi uerbi. Et licet ceremoniae non sunt ad salutem, tamen uulgo quaedam prosunt ad mouendos stupidos animos. Dico autem potissimum de ceremoniis, quales sunt altaria, uestes, candelae et huiusmodi leuiculae, quae si depositae non sunt, seruari possunt, sicut nos facimus hic Wittenbergae. Sin depositae sunt, optarim, paulatim repetere eas, regnante tamen uerbo, quo conscientias liberemus. Nam pueris et stupidis eae prosunt, quibus seruiendum est. Tamen uinculum perfectionis, caritas, hic regnet, et pax triumphet; quod faxit Christus, qui nos uocat, Amen. In quo recte uale, et ora pro me. Wittebergae XI. Januar. 1531. *)

---

*) C. A. Heumanni Disp. de A. C. lenitate. p. 51.

CIX.

Nicolao Hausmanno.

Gratia et P. in Domino. Non erat opus, mi Nicolae, ut ad te scriberem, cum noster Jonas, una epistola, ad nos iret. Ex quo omnia intelligere potes, quae tam apud nos sunt, quam aliunde huc feruntur. Sacramentarii ambiunt strenue nostram amicitiam, cedunt de sua sententia partim, mitiusque loquuntur. Oremus ut perfecta et pura fiat concordia. Joannes Pomeranus fortiter laborat, sed Satan et obstitit et tentauit obsessa puella. De quibus omnibus Jonas abunde.

Miror cur Bernardus non redierit iam dudum. Obsecro si poteris eum attingere literis, iubeas eum redire. Nam parochia cum Sebastiano Kottero eum expectat prope Lysnecum, ubi spero commode sit mansurus. Quodsi non, alibi eum prouideri curabo. Sagt ihm, dass er mich nicht arm essen kan in 2 oder 4 Wochen. Hoc mihi expedit, te oro.

Recudimus iam Psalterium sacrum pro calumniatoribus instantibus. Sed Christus qui coepit opus suum, perficiet idem in gloriam suam et utilitatem nostram. Salutat te reuerenter Domina mea Ketha et familia et domus tota. 21. Januar. 1531. *)

---

*) Extat. germ. T. XXI. Opp. Luth. Walch. p. 1377.

CX.

Cyriaco N. in arce Coetgen, Ministro uerbi.

G. et P. Goettingensis Senatus postulat a me ministrum uerbi, optime Cyriaco, qui simul sit et Superattendens; cui promiseram Licentiatum Basilium Schumannum. Sed is Goslariam uocatus est. Ideo si tibi uisum fuerit, poteris cum hoc legato Goettingensi de hac re loqui. Sic enim persuasi, ut te moneri ret, auditurus tuam uoluntatem. Conditio est satis ampla, ut mihi uidetur, CXX fl. annui reditus. Si igitur Senatus te mouerit, ut hos accipias, bene est. Si non, tu ipse respondebis, et Senatui Goettingensi sententiam tuam significabis. Vale in Domino. Wittenbergae, Dienstag post Judica. (d. 26 Martii 1531.) *)

CXI.

Andreae Osiandro.

G. et P. in D. Quod de baptismo infantium nondum egressorum ex utero quaeris, mi Osiander, dicam tibi iubens meam sententiam absque praeiudicio tuae. Ego nostris mulierculis Wittebergae prohibui, ne baptizent nondum natum infantem. Aliquae

*) C. A. Heumanni disp. de C. A. lenitate. p. 46.

Aliquae enim ſolebant uix apparente uertice baptizare foetum. At cur non aeque ſupra matris uentrem uel potius ipſum uentrem matris baptizant, ut foetus baptizatus cenſeatur? Orationibus iuſſi iuuare parturientem. Baptiſmum uero mulierum, quo editum puerum periculo infirmitatis baptizant, ego ratum habeo, ſed in Eccleſiam ferendum tamen, ut publice ſuper eo oretur, et miniſtri manu impoſita baptiſmus palam probetur, ceu teſtimonio Eccleſiae confirmatus. Conditionalem uero baptiſmum nati et editi pueri, ſi de baptiſmi priuatim dati certitudine dubitetur---- (deſunt hic quaedam) Breuis ego ſum, nam capite laboro, et manus tremulae ſunt. Tu pro nobis ora, et in Chriſto recte uale in perpetuum. 13. Maii 1531. *)

CXII.

Hieronymo Wellero.

G. et P. Multis modis deteſtor iſtius concionatoris uaniſſimam temeritatem, mi Jeronime, qui ſub Caſparo de Schonbergk, uti ſcribis, perſuaſit ſimplices animas ſubire periculum ſumendae ſpeciei utriusque, et ipſe mercenarius nunc uiſo lupo fugit, deſertis ouibus, neque firmis ſatis neque

*) Strobel. Miſcell. P. III. p. 85.

munitis. Nunc quid faciam ego absens absentibus? Non uenit ille mercenarius in conspectum meum, reuocare item non licet, neque ueniam petere, et tamen forte perdurare non possunt, ac constanter factum pietatis confiteri. Quanto rectius facerent sub istis tyrannis, ut uel solo uerbo informarent conscientias, aut eos tantum audere docerent, qui parati essent omnia pro Christo pati. Melius enim est tacite credidisse, quam publice post factum negasse. Scribo tamen illis, sed nescio, an solatio futura sit mea epistola, uel tribulationi. Tu iudicabis, et tum demum illis mittes, si uidebitur. Nomen oppidi non significasti, neque ego explorare ex nuncio uolui. Breui ad uos frater Petrus Weller ueniet, ut intelliges ex scorpionario uestro omnia. Fer. 3. post Iohan. Bapt. (26. Iunii) 1531. *)

CXIII.

Bernhardo a Doelen, Pastori in Sitten.

G. et P. in C. Salutat te, mi Bernharde, mea Domina Ketha, - - - - Haec ipsa iussit ad te scribere. Caetera quae de Ministrorum uerbi negligentia et rusticorum contemtu scribis, nimis uera sunt: utique patientia nobis non solum utilis, sed etiam, ut hactenus uidimus, necessaria est.

---

*) Strobel. Miscell. P. III. p. 89.

De coniugio laudo uoluntatem tuam, ſed uide, ut nullo modo nuptias perficias, niſi perfecta domo parochiae, ut ſolus, cum ſola uiuere poſſis. Nam res intolerabilis eſt cum uxore in alterius domini aedibus morari. Virginem illam Hannam Zetſchin ſatis noui, de probitate et bonitate ingenii ſatis ſpero, tum de diſciplina certus ſum, quia ſub rigida magiſtra fuit, omnia diſcere et facere et pati domeſtica, ut eam arbitrer in re familiari probe exercitam, et peritam, ſed tamen nolim meo iudicio credas, nihil permittas cuiquam, donec ipſam puellam uideris per occaſionem quamcunque. Nam forma corperis non eſt admodum excellens, ſed mediocris, ſi qua forte et in hac parte proſpicere tibi uolueris. Vale in Domino bene, et ora pro me. Nos ſatis adhuc ualemus Dei dono. die Margar. (13. Iulii) 1531. *)

CXIV.

Miniſtris uerbi ſinceris apud Cygneos, Joh. Gobel, Liborio Magdeburg. Matthiae Krotiſch, et Adam Schumann.

G. et P. in Chriſto. Notum uobis eſſe cupio, cariſſimi fratres, me operante et aliis optimis uiris

*) VN. 1733. pag. 13.

collaborantibus tandem uix extorsimus a Principe et Consiliariis, ut Pastorem uestrum exonerarent istis uestris superbis truncis, nam ualde inuiti eum dimiserunt, et omnino uolebant, per uim illis obtrudere: sed nos moti eius periculo, quod apud exacerbatas istas bestias non esset ei tutum, nec ecclesiae utile, isthic manere, tandem impetrauimus, ut cum gratia dimitteretur iusta adiecta conditione, ne migraret ex ditione Principis in aliud ministerium. Nam in sua ditione uult eum Princeps collocare, non inter bestias, ut isti sunt, sed inter homines saltem. Haec scribo, ut si forte istae bestiae glorientur, habeatis certam rei ueritatem, quam ostendere possitis, sic enim, ut dixi, uere res habet. Pastor est in gratia et fauore omnium bonorum, istae bestiae in odio, in nausea, sicuti meretur eorum superbia et ingratitudo insignis. Sunt enim de numero illorum, de quibus dixit Jacob: maledictus furor eorum, quia pertinax, et indignatio, quia dura, in concilium eorum non ueniat anima mea. Quod si aliqui uestrum, uel omnes grauemini isthuc manere, non dissuasero discessum, nec ursero, ut maneatis. Sit uobis liberum facere, cum istis hostibus et osoribus seruorum Dei et Euangelii, quicquid placuerit. Non estis alligati, ut inuitis et ingratis istis duris ceruicosis seruiatis. Itaque consolamini uos inuicem in Christo, qui uobis

fauet, etiamsi pars quaedam uirulenta mundi uos oderit; in quo recte ualete. Amen. die 18. Augusti 1531. *)

CXV.

Matthiae Crozsch, Pastori Cygnensi.

G. et P. Optime Mathia, sicuti uides, Pastor uester, optimus uir, per Principem est ab istis hominibus uestris exoneratus magna Principis clementia. Nam timuit eius periculo apud istos duros homines, et omnino eum iussit in ditione eius manere. Nam cogitat eum alio loco prouidere, sicut spero breui futurum. Tu ergo per Christum noli perturbari neque sollicitus esse, sed habe parumper patientiam, et sine istas furias facere et gloriari. Nobis sat est, quod non solum habeamus Christum, quem illi odiunt et fatigant, propitium in spiritu, sed etiam Principem et optimos in aula uiros fauentissimos. Itaque non deserti sumus, sed maxime suscepti, tantum expectemus modicum. Sie haben auch nicht was sie wollen, und viel weniger denn sie vermeinen. Odi ego istam insignem superbiam et ingratitudinem istorum hominum, sed Deus reddet illis secundum sua opera. Tu ergo interim et te una cum Pastore in Christo

*) VN. 1721. p. 715.

ſolare. Res eſt ſalua Deo gratia. Deinde ſi Cygnei addiderint hanc quoque ingratitudinem, ut Paſtori pro ualete non relaxent debita, qui tot annis ſeruierit et tulerit eos, tum conabor cooperari, ut quantum poſſum nullum unquam inueniant Paſtorem. Satis iam quoque foetet eorum ſimus, qui tales hactenus uiros ferre non potuerunt, foetebit in dies latius. Chriſtus ſit cum omnibus uobis. Amen. fer. 6. poſt aſſumt. Mariae (20. Aug.) 1531. *)

CXVI.

Joanni Brismanno.

Gratulor, mi Brismanne, tibi e Liuonia in Pruſſiam reduci, ſed quod in locum tuum petis alium ſuffici, idem a me petierunt ipſi Rigenſes, et nunc etiam petit Princeps Albertus. Sed ubi ſunt, qui idonei ſunt, aut qui uelint? Circumſpicio undique et penuria talium ubique eſt magna. Tempus eſt dicendi Principibus et Ciuitatibus de miniſtris uerbi: tene quod habes, ne alius accipiat tuum Paſtorem. Sunt quaedam urbes, quae duobus annis caruerunt concionatoribus. Tamen agam ſedulo, ut aliquem moueam loco, et iſtuc trudam, Chriſto fauente.

---

*) VN. 1719. p. 574.

Commendo tibi hunc nouum in Prussia uirum, Doctorem Basilium cum uxore, quos tibi notos esse arbitror, ipsa monialis meae uxoris sodalis fuit. Ipse Apothecarius Lucae pictoris, omnia ex ipso audies.

Tu uale bene, et ora pro me. Nam breuiter scribere cogit multitudo occupationum, praesertim absente Pomerano. 24. Augusti, 1531. *)

CXVII.

Nicolao Hausmanno.

G. et P. in Christo, quae excipiet turbas tuas ex Zuiccauio tibi ortas, optime mi Nicolae. Tarde ad te scribo. Id facit raritas et incertitudo nunciorum sicut et turba negotiorum. Valde inuitus legi, quod scribis, te non reuersurum esse ad me, cum ego te libentissime apud me habeam. Et adhuc oro te, si ullo modo fieri potest, ad nos redeas, non eris mihi grauis, aut ullo oneri sed mero solatio et commodo. Stubellum tibi parauero et omnia tibi administrabo.

Mirum est quam me urat Cygneorum furor et superbia ingratitudinis eorum, qui tibi tot annos apud eos summis periculis et laboribus defuncto debita ista exigua tam rigide excidunt, cum tibi

*) Act. Boruss. T. I. p. 808.

ſingulis annis minus numerauerint, quam debuerunt, et tu conſumſeris in eos tuam ſubſtantiam. Sed trademus et hoc monſtrum impietatis illi, qui iuſte iudicat. Liberabit te Chriſtus etiam ex iſtis delictis, et reddet illis, quod merentur, et ipſe idem Dominus, ſpes et corona noſtra, uita et pax noſtra, roboret et laetificet cor tuum, et uirulentas iſtas linguas et glorias furentium hominum contemnas. Et plane tibi erga eos laetandum eſt et inſultandum, qui uides furia et amentia ſic eſſe percuſſos, ut digni non ſint, qui de te bene loquantur, aut donum Dei agnoſcere poſſint. Gloria et laus eſt, a peſſimis hominibus uituperari et odio haberi. Salutat te mea Ketha reuerenter ſingulis horis expectans manum obſtetricantis Dei. Gratia Dei et ſolatium ſpiritus tecum, Amen. Vltima Octobr. 1531.

CXVIII.

Nicolao Hausmanno.

G. et P. Vir optime. Nuper ualde te rogans, ut ad me redires, ſed quia nihil reſpondes, metuo, ne literas meas non acceperis. Quare iterum oro per Chriſtum, ut ad me quam primum reuertaris. Habes hic ſtubellam uacuam et te expectantem atque paratam. Tantum ut uenias ne dubita, non eris mihi oneri ſed leuamen et ſolatium, at-

que utinam perpetua uita mecum esse posses. Non esset difficile te alere, imo facile, et bona occasio ingratis et molestis propter te negare, quod alias negare non licet. Idem tibi uerbis dicet hic Pastor Buchholzius. Quare noli cunctari, sed mature ueni, expecto te et suscipiam laetus, etiam de pecunia nihil sis sollicitus. Vale in Christo. fer. 4. post Elisab. (d. 22. Nouemb.) 1531.

CXIX.

Gerhardo Xantis, Patri domus Fratrum et collegis ipsius in Herfordia.

Mittimus uobis exemplum literarum, quas dedimus ad Nouemuiros, in quibus omnino dehortamur eos a uiolentis consiliis: nihil iuris eis concedimus in res aut corpora, aut ordinationem uestram. Clare etiam posuimus uos parochiam propriam tenere posse, postquam et doctrinam euangelii et ritus consentientes euangelio habetis. Itaque de uestro consilio aut sententia nemo uos coget aliquid mutare in ordinatione uestra, sed tamen addidimus nos scripturos esse de communione, exempli causa, prodesset uos uti communione reliquae ecclesiae, idque si faceretis totae res pacatae uiderentur. Fortassis etiam multos ciues abhorrentes adhuc ab euangelio, uestro exemplo ad euangelium inuitaretis. Nec mutare uos habitum aut

deferere praefens uitae genus uelimus. Itaque uestri iudicii erit, utrum hac in re uelitis morem gerere ciuibus. Nos enim neutiquam sentimus uos cogendos esse, et clare probauimus ritus uestros, quantum ex libello uestro iudicare possumus. Quare si mauultis retinere parochiam uestram, non improbamus. De habitu et possessionibus monasterii, de tota oeconomia uestra ita pronunciamus: Simpliciter ea in possessione uestra esse: Nam ciuitas in uos nihil habet imperii, nec nos nulli unquam autores erimus aliena occupandi. Si quid autem praeterea de hoc negotio agent ciues uestri, rogamus, ut uos moderate respondeatis. Bene ualete. Postridie Dom. Iubil. (d. 22. April.) 1532. *)

Duos aureos, quos nuncio dedistis nobis donandos, reddidimus nuncio, ut uobis restituat. Non enim licebit nobis accipere propter improborum sermones, nec sumus aspernati beneuolentiam erga nos. Sed noluimus praebere calumniatoribus maledicendi occasionem. Iterum ualete.

CXX.

Andreae Osiandro.

Gratiam et Pacem in Christo. Mi Andrea: Tu ne cede malis, sed contra audentior ito. Sic tuis

*) VN. 1726. p. 891.

literis, licet aegrotus, respondeo, quibus significas te istam Niniuen fastidire, quam et ego, utinam non et Christus, nauseabundus aspicio. Sed duodecim sunt horae diei, et nostri oculi uidere futura non possunt. Deus sic nos tentat. Atque ut omnia male cadant, tamen triennio non potest stare iste status hominum, adeo in summum uergunt omnia, et cogunt mutare istam rerum faciem siue in peius siue in melius. Si in peius, tum nihil effecerimus fugiendo, si in melius, omnia effecerimus manendo. Ego sane uideo, si pax futura est, quam futuri sint quoque uiri docti in pretio, et ut Esaias ait cap. 13. pretiosiores auro. Quotidie quaeruntur concionatores et non sunt. Et tu, si tui Niniuitae nolunt, cogeris et uocaberis, quo illi non cogitant, et quaerent in locum tuum digiti tui extremi, et non inuenient.

O socii passi grauiora dabit Deus his quoque finem.
Durate et uosmet rebus seruate secundis.

Es kan also nicht bleiben. Mali mores parient bonas leges. Es ist ein Uebergang, sprach der Fuchs. Es muss der Vogel einmal sich mausen, so kriegt er wieder schöne Federn. Haec accipe animo candido et fideli a me scripta, quia et ego tuis cogitationibus saepissime uexor, et rursus me ita solor, sicut te consolor. Saluta omnes nostros. Plura nolui, nec potui; sic caput meum

aegre habet. Christus tecum et cum omnibus tuis mi frater in Christo, et pro me ora, siue uiuo siue mortuo me commendatum habe ministerium nostrum. f. 5. post Lamberti (d. 22. Sept.) 1532.

CXXI.

Nicolao Hausmanno, uerbi in Desfau Ministro.

G. et P. in C. Has litteras tam diu coram oculis meis positas habui, optime uir, semper et omni hora ad te mittendas, cum semper Amelius responderet, quod neque sibi neque M. Georgio nuntius certus esset, donec me absente atramento maculatae sic sunt. Tu ueniam mihi innocenti dabis, quod eas ob diligentiam et spem ad te perferendi non ab oculis semoui. Caeterum Christum benedico Dominum nostrum qui te istic et incolumen et Principibus gratum seruat, quibus meo nomine gratias agere digneris non tam ob aprum istum donatum, quam ob gratiam et fauorem erga uerbum Dei, et quod singulare est, etiam erga meam uilitatem in tantis Heroibus gliscentem. Commendabis me igitur inprimis Deo et deinde optimis Principibus tuis precibus.

Coenabunt mecum, ut petiisti, et Justus Jonas, Philippus et Pomeranus et Crucigerus ad aprum istum iuuitati ad Martini sancti, ad Martini filii,

ad Martini patris natalitia celebranda. Utinam et tu adesses.

Noua nulla nisi quod uisitatio Principis iussu instaurabitur, et Justus Jonas uisitatorum unus. Porro sequestratio procedit frigidissime (alii rigidissime) et metuo ne rigide nimis. Unser lieber Herr Gott machs alles gut, Amen. f. 6. Nouemb. 1532. *)

CXXII.

Nicolao Hausmanno.

Salus in Christo Domino nostro. Litteras tuas sed non tete, quod maxime sperabamus, inuenimus, mi Hausmanne; ideo reddimus litteras sed breues, quia colloquiis impediti iam discedimus, ut non possimus latius scribere. Narrabunt tibi optimi Principes omnia. Nam tractauerunt nos humanissime et splendide. Alias alia. Iam festiui ascendimus currum. Vale mi in Christo suauissime frater. Ex Worlicio, Dominica post Elisabet. (d. 24. Nouemb.) 1532. **)

---

*) Germ. T. XXI. Opp. Luth. Walch. p. 1400.

**) Germ. T. XXI. Opp. Luth. Walch. p. 1402.

CXXIII.

Bernhardo Rothmanno, Monasterii in Westphalia Ministro.

G. et P. in C. Extorsit mihi occupatissimo has literas, mi Bernharde, sollicitudo mea, quam concepi ex rumore quodam, scilicet discurrere aliquot in Westphalia Sacramentarios, qui irrepere tentant in urbes euangelio recenter initiatas. Quare te admonere et rogare uolui, ut non solum tibi ab illis caueas, sed etiam ecclesiam seu plebem aduersus eos munias. Sic enim de te confidimus in Domino, ut qui coeperis laetificare angelos in coelo et in terra, conuersa ista ciuitate Monasteriensi, ita perges hoc ipsum sacrificium Deo consummare, neque committes, quantum per te fieri potest, ut laetitia illa nobis per te parta in tristitiam uertatur, sed potius augeatur, et perseueret in aeternum.

Vides enim Zwinglium cum tot symmistis suis poenas dedisse sui dogmatis horribili satis exemplo, si illi possent commoueri. Sic periit et Muntzer, Hetzer et alii plures manifeste Deo monstrante istis monstris irae suae, quam oderit istos impios spiritus, licet indurati, ceu Judaei et Philistaei, talia contemnant, et nescio quos martyres celebrent. Christus itaque qui in te et per te magnum opus coepis, perficiet idem et construet

te in pura et ſincera uerbi ſententia tutum et illaeſum ab omni inquinamento ſpiritus illorum, Amen. Candide et confidenter ſcripſi. Tu quoque candide et amice accipies. Nam amari et coli te a nobis, uolo non dubites. Dat. Witteb. ante uigil. natiuitatis Chriſti, (d. 23. Decemb.) 1532. *)

CXXIV.

Johanni, Georgio et Joachimo, Principibus Anhaltinis.

Audiui, Clariſſimi et Optimi Principes, tandem ſic cooperante Spiritu Chriſti ualefactum eſſe impiis abuſibus religionis in ditione ueſtra, et feliciter inchoatum chriſtianae communionis uſum, etiamſi id factum ſit non ſine magno periculo; ſcilicet magnis Principibus contrarium ſuadentibus, inſuper etiam minantibus. Ego certe, qui nihil ſum, tantum Chriſti eſſe cupio, et omnino timentium eum particeps. Laetus ago gratias Deo et Domino, qui tantum Spiritus robur, et quod magis eſt, tribus fratribus, qui in ſublimi loco poſiti, multum habent periculorum prae ceteris priuatis hominibus, quorum fides et conſtantia, qualis fortaſſis eſt mea, non tot et tanta habet pericula,

*) Seelen. Philocalia epiſt. p. 1.

nec caüſas metuendi. Sed Chriſtus eſt ille infirmus rex, et tamen uere et in aeternum omnipotens rex, cuius iſta ſunt opera, ſic ipſe facit, uiuit, loquitur, tam in ſe ipſo, quam in ſuis membris, et cum uidetur conſumtus, oritur ſicut Lucifer, ſicut ad Paulum dicit: Mea uirtus perficitur in infirmitate. Ideo cum infirmatur, tunc fortior eſt. Haec eſt ratio eius uiuendi, agendi, regnandi. Da wird nichts anders aus. Etiamſi noſtri Principes nouiſſimis comitiis Auguſtanis uidebantur plane deuorati et perditi, ſed eo ipſo magis ſunt uiuificati et liberati, adeo ut etiam Caeſaris animum mutatum obtinuerint, et Pontificis Romani ſpem et conatum prorſus in ludibrium uerſum et uideant et gaudeant. Maxime igitur, Clariſſimi Principes, qui incipit opus ſuum in cordibus ſuis, perficiet. Sic enim initia omnium rerum, quae Dei ſunt, infirma ſunt, et fructus inuicti. Omnium arborum radices in principio ſunt ſicut tenuia fila, uel potius lac, uel coagulum quoddam, et tamen producunt iſtas trabes et robora, quibus tantae moles domorum nauium et machinarum conſtruuntur. Noſtra ipſorum origo dicitur in libro Hiob eſſe coagulum laetis, et tamen ex hoc coagulo lactis fiunt tandem potentiſſimi reges terrarum, qui etiam iudices angelorum, ut Paulus ait,

in

in illo die, quem expectamus, futuri sunt. Sic tota natura creata infirmiter incipit, et fortiter perficit. Moab enim maioris est superbiae quam uirtutis, ut Propheta dicit. Christus autem maioris uirtutis quam superbiae. Confidite, inquit, ego uici mundum. Et iterum: Et uiuo, et uiuetis uos. Ipse ille Dominus custodiat conseruet et corroboret corda uestra, non tantum secundum sanguinem, sed etiam secundum spiritum coniuncta, in gloriam suam et multorum salutem, Amen. (1532.) *)

CXXV.

Theologis Norimbergensibus.

G. et P. in Christo. Optimi uiri, et carissimi fratres in Christo. Si unquam optaui et petii a Domino, mihi dari sermonem in os bene sonantem, et apud audientes efficacem, nunc maxime peto has litteras meas fieri efficaces et suaues in auribus et cordibus uestris per uirtutem Spiritus sancti. Dici non potest, quanto dolore animi perceperim, inter uos dissidium ortum esse, qui constituti estis in eo loco insigni, angeli pacis et salutis. Nam ut nihil dicam de turba et damno uestrae domesticae Ecclesiae, quantum putatis scanda-

*) Litt. Wochenblatt P. II. p. 305.

lorum aliis Ecclesiis inde emergat? quas glorias, quas ouationes, quos triumphos sibi utrinque aduersarii, Papistae et Sacramentarii atque Anabaptistae ex isto uestro malo captant et iactant, scilicet hanc offam Cerberus, hanc laetitiam malitiae suae ex uobis haurit. Et ut me Christus amet, quantum ex re ipsa et litteris uestris (loquar enim in tanta necessitate et periculo liberius) intelligere et indicare possum, non ex ista caussa praesenti, scilicet priuata et publica absolutione nascitur istud dissidium. Subolet, subolet omnino, nolite fingere, nolite dissimulare, fuisse aliquot ueteres antea offensiones inter uos, et scintillas in fomite alitas et pressas, quae nunc tenui flante aurula et leui occasiuncula conantur in incendium surgere, quas si in tempore aliqua lingua, ut Esaias ait, erudita et medica affuisset, uno sputulo, ut Sirach ait, restinxisset, quae nunc multorum linguis insufflatae et inflammatae difficilius compescuntur. Nam si ante hanc causam cor uestrum unum, et anima uestra una fuisset in Domino, et uinculum caritatis perfectum, impossibile fuisset, istas offensas leues tantum ualere, quantum proh dolor ualent. Quoties enim digitus oculum, dentes linguam, manus manum satis acriter laedit! et tamen ferunt inuicem has offensiones solicita pro se inuicem membra. Et uos optime scitis, dicta et facta alterius, quan-

sumuis bona et laudata accipi pessime ab animo exulcerato et suspicioso, tales enim sunt res etiam Dei, quaecunque qualesque sunt nostrae uel opiniones uel conscientiae, ita ut uitalia iudicemus, quae sunt mortis, et mortalia, quae sunt uitae. Quanto magis dicta aut facta fratris alterius aegrotus animus ad iniquam partem accipit, praesertim si fuerint aliquantum reprehensibilia et manifesta uitiosa. Sed ubi interim manet illa imperatrix et dominatrix harum offensionum et affectuum caritas? de qua gloriose iactatur per ipsum Spiritum sanctum: uniuersa delicta operit caritas. Et iterum: remittite, et remittetur uobis. Nihilne nos, qui aliis praedicamus caritatem, misericordiam et remissionem, etiam nobis relinquemus caritatis? nihil oneris inuicem portabimus? ommane faciemus, ut iudicium glorietur aduersus misericordiam? An delectat nos audire illud? Turpe est Doctori, cum culpa redarguit ipsum. Imo quod horrendum est, iram Dei in nos ipsos doctores gratiae concitamus, dum nostris affectibus indulgentes percutimus infirmos fratres, propter quos Christus mortuus est, scandalo isto et dissidio periculoso et odibili. Est enim et hoc unum de capitibus originalis peccati, quod in fratre exigimus plus iudicium, quam misericordiam in nobis, cum tamen plus exigenda sit misericordia a nobis, quam iudicium ex fratre,

Es heiset: Liebe soll für das Recht, und über das Recht gehen. Quod si non potest teneri hic ordo, funditus est extinguendum iudicium, quam permittendum, ut aequetur iudicium misericordiae, aut cum illa certet aut litiget. Sicut Christus sustulit funditus iudicium nostrum, et chirographum illud contrarium nobis, antequam permitteret ipsum aequari uel praeferri caritati suae erga nos, uereque dictum: summum ius summa iniustitia; omnino et simpliciter damnatum est ius siue iudicium tam apud Deum, quam apud homines, si extra fines suos egressum caritati seu misericordiae dominari seu aequari uoluerit: seruire enim debet iudicium, non dominari caritati. Alioquin est unum de quatuor istis malis, quae turbant terram, ut Salomon ait, scilicet seruus regnans seu ancilla haeres dominae suae. Quare per Christum, per omnia communia, quae in illo habemus, et per congregationem nostram in illum date operam solicitam et fidelem, ut mutua patientia humilitate et remissione hoc malum in uobis sanetur.

Respicite saltem nos, et desinite dolorem addere super dolorem, quia negare non potestis, uulnus uestrum nostrum uulnus esse, et uobis per Satanam impeditis et uexatis nos quoque impediri et uexari. Estis enim nostra corona et gloria in isto insigni loco. Recordamini, quantam uim ho-

strum sustineamus, et eorum omnis generis daemonum et hominum. Ne etiam nos ipsi inuicem mordentes consumamus seditione ista spiritus longe funestissima, quos unito spiritu oportuit mutuas dextras porrigere, etiam cum uitae iactura contra tam multos, tam uigiles, tam infatigabiles hostes diues et noctes impugnantes? Et cum gaudeant uno ex nobis lapso uel laeso, quantum triumphabunt, si tantam Ecclesiam uiderint mutuis et plus quam ciuilibus uulneribus proterni? Hoc uoluerit Satan, ut qui hactenus omnibus suis portis fuimus muniti, nunc sine ipsius manu et ipso dormiente propriis manibus et mutuis caedibus concidamus. Hoc prohibeat pater omnis uitae et consolationis, Amen.

Quare nisi melius uobis spiritus suggesserit, meum consilium fuerit, ut acute distinguatis inter istam caussam et pacem uestram. Et cum nullum sit Ecclesiae periculum, si hanc caussam sinatis uel ad tempus sopitam, (utinam extinctam) iacere, donec tutiore et meliore tempore et animis in pace firmatis et caritate adunitis eam secundum omnem uoluntatem disputetis: hoc tempore et animis sic affectis uenenum est eam disputari, aut hoc uulnus seu carbunculum tangere. Deinde si publica absolutio, quae fuit conclusio petita per hanc disputationem, obtinuit et triumphauit, imitamini exemplum Atheniensium, et sancite amnestiam, cum

iterum hic nullum sit periculum Ecclesiae. Et hoc plane debetis, ne istam causam praeferatis paci et caritati uestrae et omnium.

Fingite interim ipsum Christum in medio uestri praesentem corporaliter, et ab ipsius uultu discite, utrum in hac causa debeat praeferri. Is absque dubio, uel oculis suis, sic alloquetur corda uestra: Quid facitis, carissimi filii, quos meo sanguine redemi, meo uerbo regenui, ut diligeretis inuicem, hanc esse notam discipulorum meorum scitis. Ponite hanc causam, uel in me reiicite, ego uidero, nihil periculi est, si quiescat uel etiam moriatur haec causa. Nihil nocet Ecclesiae meae, si publica absolutio regnet, sed hoc erit periculum, si dissideatis et mordeatis inuicem. Hic non tantum scindetis meam inconsutilem tunicam, sed dimembrabitis et lacerabitis corpus meum. Nolite sic contristare Spiritum sanctum, quo estis obarrhati ad diem salutis. Nolite angelos sanctos in coelo gaudiis suis spoliare. Nolite fratres uestros et uniuersam Ecclesiam turbare et scandalizare. Nolite hostibus meis et uestris uos ipsos ridiculum facere. Nolite Satanae gaudia et triumphos multiplicare. Satis est uobis alias ob nomen meum malorum. An ego non plus sum uobis, quam omnes causae, omnes affectus, omnes offensiones? Itane fortius penetrant et haerent uerba aliqua fratris,

nel iniqua molestia, quam mea uulnera, meus sanguis, quam totus ipse Saluator Jesus Christus? Talia certe et longe pulchrius et copiosius loquentur uobis oculi eius pulcerrimi et uino rubicundiores, modo in medio uestri stare eum sinatis, et fixis in uultum eius oculis taceatis causam et affectus uestros. Nam hoc facto silentio quid aliud dicet, quam Pax uobis, nolite timere: tum ostendet uobis uulnera sua et teget uestra uleera et tubera, et sic erit uobis omnibus salus et gaudium.

Plura scriberem, sed magis uellem apud uos uoce uti, confidens me operante Christo aliquid effecturum esse. Sed cum sitis uiri, quibus dedit sapientiam suam nosse, non despero, quin his litteris datam occasionem intelligatis plus sapiendi, quam ego scribere et dicere possim. Simul autem quia et homines estis, nec dum a morte resurrexistis, nihil uobis mirum uidebitur, si aliquid humani passi fueritis, sed tamen ut hactenus humanum fuerit, et humanum esse non desinat, et non in daemonium uertatur. Humanum est irasci, sed additum est: nolite peccare. Offendi humanum est, sed non reconciliari, diabolicum est: non offendi autem aut non offendere angelicum, uel quod idem, christianum. Quo cum nondum peruenerimus, iustum est, ut uelut incipientes et initia habentes Christianorum, si non uitauerimus aut non pertu-

lerimus offensas, ueniam inuicem et demus libenter, et uitam nostram in illam petitionem inuoluamus: Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.

Ipse Dominus Jesus, pax et misericordia nostra, laetificet uos, hoc est, det uobis pace et misericordia inuicem superare, et iurgia ac dissidia uestra fornace caritatis absumere, Amen. (sine dubio m. Octobr. 1533. *)

CXXVI.

Nicolao Hausmanno.

G. et P. in C. D. N. Mihi iam ter occasio erepta est scribendi ad te, Venerabilis uir, ualde et inuito. Sic enim scribendo et agendo obruebar continenter, quod testabuntur libri tum praefationes, quibus istas nundinas Lipsienses repleuimus. Quare per Christum te oro, ut optime consulas hanc necessitatem. Voluntas irreprehensibilis erga te et erit semper, etiam ubi negligentior fuerit opera. Nam et fautum et seruitum tibi cupio quam maxime. Finitis igitur libris scribendis hodie mane collocaui hanc uesperam literis absoluendis ad Lipsiam et Noribergam mittendis. Istis tandem

---

*) Extat haec epistola seorsim impressa Lipsiae 1573. 8.

absolutis otium mihi capiam prolixius ad te scribendi, et Domino Principi, illustri Domino Georgio, praeposito Magdeburgensi, et moram compensabo copia scripti, et spetabo boni et grati.

Gratulor uiuam valetudinem aduersam, et restitutam salubriorem. Christus te seruet incolumem et pro me orantem.

Sermo Worlicii a me habitus excusus est, quem hic mitto. Nam reliquos libros recenter editos arbitror te iam habere, quia mihi persuasissima est M. Georgii diligentia, imo perspecta. Sed tu si quid nondum habes, mihi indica quaeso. Christus ut hic auditur, percussit inimicum suum Lipsiae clamatorem in ipso suggestu et in medio blasphemiae suae.

Hamburgae se ipsum confecit canonicus insignis Euangelii odiens, et eodem tempore Sacramentarius in eadem ciuitate se ipsum in puteum praecipitauit, et licet aqua non satis profunda et ad puteum currentibus et ad Christum uocantibus uolens tamen in dorsum reclinatus suffocauit se ipsum, contemnens auxilia ea, quae ei demittebantur. Vox eius erat Judae simillima: decepi multos, ideo non est spes etc. Sic pereant inimici tui, Domine, quandoque scientes et prudentes blasphemandi nullum neque finem neque modum faciunt, et erecto collo aduersus Deum currunt.

Commendabis me Principibus tuis optimis et sincerissimis, quibus otio capto familiarius scribam. Christus sit tecum. Salutat te, mi Domine, Ketha, reuerenter orans, ut oratione tua eam iuues scilicet uicinam partui. altera Januarii 1533. *)

CXXVII.

Georgio Helto Forchemio.

G. et P. in C. Narrauit mihi uir optimus D. Nicolaus Hausmannus tuam sinceram in Domino pietatem, charissime frater, licet ea sit infirma, haerensque adhuc ualde in autoritate Pontificis et Concilii, quod ego de te nullus admiror. Nam et ego, cum uixissem pene xx annos Augustinianus, sic fui longo usu et habitu imbutus ac penitus inuersus, eadem opinione, qua tu haeres, ut nisi Deus manifesta ui me eripuisset (de qua tibi plura dicet Nicolaus) uerbis forte nunquam potuissem auelli, quamuis omnia certissima mihi essent. Adeo difficile fuit uerbum in opus ducere, et quod certo docuissem, ipsum me audere facere. Quanto minus mirum est, tete, qui tot annis, ut audio, in isto uitae genere consueuisti, et non, sicut ego, coactus quotidie uerbum Dei contra urgere, sic af-

*) Germ. T. XXI. Opp. Luth. Walch. p. 1402.

fectum esse. Quare noli desperare, sed hoc age, ora ex animo, ut Dominus Jesus tibi det illam dialecticam diuinam uidere, qua docetur, quod Christus est aliud quam Moses, Papa et totus mundus, imo aliud et maior quam nostra conscientia, quae tamen superat Mosen et Papam. Nam si credendum est Mosi et conscientiae, quae nos uexat et arguit per legem, quanto magis credendum est ipsi omnium Domino Christo, qui dicit: Credite, et iterum: frustra colunt me mandatis hominum. Sint hic infiniti Papae, et infinita concilia, quid sunt contra Christum? Gutta scilicet contra solem. Sed haec cum tempore obtinebis orando. Nam grandiora sunt, quam ut subito capiantur ab animo longe et diu assueto. Expertus loquor, ideo facile tibi credo. Tamen hortor, ut sedulo adnitaris tam orando quam utendo. Et Dominus erit tecum. Haec, quae dico, seu scribo tibi, eadem cupio et Domino Roselero legi et dici, quem et salutari tuis uerbis et corde meo desidero. Bene uale in Christo, qui te in dies robustiorem faciat, Amen. f. 6. post Laetare, (d. 28. Mart.) 1533. *)

---

*) Germ. T. XXI. Opp. Luth. Walch. p. 1404.

CXXVIII.

Georgio Anhaltino Principi.

G. et P. in C. Merito nominabo te et reuerendissimum Episcopum (taceo Praepositum) et Clariss. Principem, optime et generose Domine, cum uideam te unum in toto imperio praesertim in eo gradu et statu positum amare sinceriter et promouere fideliter uerbum Christi. Atque mihi saepius miraculo fuit, id ipsum cogitanti, et plane singulare Dei donum agnoscere cogor, quod tua sponte coeperis urgere eam doctrinam in populis tibi subiectis. Non adulor, neque palpo, Deus scit, sed gratiam Christi in te tam mirabiliter erumpentem et fulgentem praedico et glorifico. Simul oro et spero totis suspiriis, quod is, qui incepit in pectore isto tantum opus suum, ipse quoque perficiat, etiamsi interim infirmitas in eo opere laboret et a Satana, mundo et carne uehementer uexetur et impetatur uariis machinis. Sed ipse dicit: confidite, ego uici mundum: uicto autem mundo uictus est et princeps mundi, sicut uicto regno uictus est rex. Victo rege mundi uicta sunt furor, ira, peccatum, conscientia, mors, infernus et omnia, quibus iste fortis armis confidebat. Igitur Deo gratias, qui dedit nobis hanc uictoriam. In qua ego T. D. uiuere et gloriari posse usque in illum diem magno cordis

desideriis, et rogo et oro patrem nostrum in coelis. Cui D. T. commendo quam diligenter possum. Boni consulat T. D. G. hanc scribendi audaciam, non enim potui me continere, quin hac breui epistola gratias agerem Deo, simul et gratularer Dono Dei, quod in pectore tanti Principis radicatum intellexi Wittembergae. F. 6. p. Laet. (d. 28. Mart.) 1533.*)

CXXIX.

Nicolao Hausmanno.

G. et P. in C. Non uacabat modo, mi Domine Nicolae, prolixius scribere ob praesentiam Principis nostri Illustrissimi, coram quo concionandum est quotidie et simul tractandum de responso dando apostolicis Nunciis et Caesareis, per quos Papa nobis obtulit articulos quosdam de concilio celebrando, scilicet quod agatur in eo secundum suum placitum et more priorum conciliorum h. e. in quo damnemur et comburamur, sed uerbis lubricis et tali Pontifice dignis. Reddemus autem ei uerba et ipso et nobis digna. Es sind doch Buben in der Haut, und bleibens auch. Sunt hic honorificentissime tractati non propter Papam sed propter Caesarem, cuius nomen omni reuerentia cul-

*) Apud Scultetum in Hardtii Hist. litter. Reformat. P. V. p. 184. b. Riedereri Nachr. B. I. S. 347.

tum est, Papae autem nomen nullo honore aliquium est. Non sunt mihi et Philippo aut ulli nostro locuti. Quid enim latronis et homicidae nostri ministri nos audirent aut loquerentur? Alias plura. Nunc uale et pro me ora dominum. altera Viti (d. 16. Iunii.) 1533. *)

CXXX.

Nicolao Hausmanno.

G. et P. Valetudo tua mi frater in Christo me satis afficit. Christus aderit et te non solum sanabit, sed etiam quidquid est id valetudinis dabit fortiter ferre. Diligit enim te, quia tu diligis ipsum, et pro eo loqueris et pateris in hoc mundo pessimo, non solum ingratissimo. Fortis esto et contemne illum, qui te odit et eum, quem tu praedicas, Christum Jesum. Ego Dei gratia sic occupatus sum, ut hodie mane non potuerim transscribere ad te, sicut uoluissem.

Dux Georgius edidit librum et suo et ingenio et scito dignum. Sed Deo gratia, qui istud fatuum cor sic produxit in publicum. Haec scilicet meruit hactenus perpetua uerbi persecutione, ut sui ipsius index et iudex cogatur esse turpiter etiam

*) Latine extat ap. Seckendorf. L. III. p. 44. Germ. T. XXI. Opp. Luth. Walch. p. 1406.

coram mundo traducere mendacem blasphemum et sacrilegum. Respondebitur non illo sed nobis digne. Tu ora pro nobis. Dominus meus Ketha reuerenter et officiose te salutat, tui magnificam memoriam habens propter -- Tu uicissim salutabis nobis longe reuerendissime, optimos et laudatissimos Principes tuos, quorum nomen, Dei dono, in benedictione et gratia omni crescit in odorem suauitatis de die in diem. Dominus tecum. Haec dum canerent in coena tui Welleri mecum. Feria 4. post S. Jacobi (d. 28. Jul.) 1533. *)

CXXXI.

Johanni Agricolae.

Habebitis igitur, mi Agricola, tandem pulchrum antagonistam istum Vicelium, hominem, quod uultus et gestus, nedum uerba et scripta ostendunt, totum e mendaciis et fucis conflatum, et fere perditum et desperatum in semet ipso, qualis semper fuit etiam apud nos, licet tectus et simulans omnia. Vos quod persuasus sum, causam Euangelii sic tractabitis, ut istam uiperam nondum natam, tantum non mortuam cogitetis. Nimis enim nihil est, quod sapit et docet, uehementer indig-

*) Germ. T. XXI; Opp. Luth. Walch. p. 1408.

nus, propter quem moueatur aliquis nostrae doctrinae peritus, ruet ipse in sese, si nostra clare et copiose describuntur. Nam sua sunt talia, ut neque doceri neque intelligi facile possint, cum nec ab ipsomet et similibus sibi intelligantur. Dominus tecum et cum tuis. (1533. m. Octob.) *)

CXXXII.

Andreae Osiandro.

G. et P. in C. J. qui est pax nostra uera. Legi et priores literas tuas et post scriptum tuum senatui uestro oblatum, optime frater in Domino. Legi et alterius partis literas et scripta, et testis mihi est Christus, gratia mea, quanto me dolore uestrum istud dissidium discruciet in isto miserrimo scandalorum et odiorum tempore, quibus plane obruti jacemus. Sed quantum ex omnibus capio scriptis et literis uestris, illi tibi non uidentur satisfacere, nec tu illis. Quid ergo? num quid quia neutra pars putat sese ab altera parte conuinci posse, ideo in aeternum litigabitis, et perpetuo ac sine fine uos inuicem mordebitis tanto multorum et piorum hominum scandalo? Quin propter Christum hoc agite, scilicet tu, qui conscientia tua uictus illis cedere non potes,

*) Litt. Wochenblatt P. II. p. 300.

potes, dignus es uenia. Rurſus illi conſcientia uictos ſeſe aſſerunt, itidem uenia digni ſunt. Date ergo uobis inuicem ueniam et ferte alter alterius onera ſecundum legem Chriſti et hac ratione diſſidium tollite, ut utrinque deinde ſileatis in publico ſtatu quaeſtionum, donec in ſe ipſa cum tempore ſopiatur. Interim tu apud te ſilentium iſtud teneas, et ut hactenus in eccleſia tua non graueris uſum abſolutionis publicae. Rurſus illi ſuam ſententiam apud ſe teneant, et ut hactenus utantur iſta abſolutione, donec animis pacatis et priore pace firmata ſine offenſione animorum de hac re ſtatuere liceat. Vos in tanta animorum commotione nihil boni ſtatuetis aut efficietis, et fieri facili poteſt, ut ex feſtuca trabem faciatis, ſed pergetis uos contendendo inuoluere. Fortaſſe uos omnes et magnum inter uos motum mouebitis ad laetificandum Satanam et ſuos, quod difficillimum ſit poſtea compeſcere. Nam tu mihi quidem multa praeclare diſputare uideris pro ſingulari tuo ingenio et eruditione. Vtrinque tamen ſunt, quae nec mihi ſatisfaciunt. Homines ſumus, et a carne noſtra facile nobis imponi poteſt, ubi non inuicem nos audiuerimus unus alterum, et ſenſu ceſſerimus. Quis finis ſequi poſſit, facile intelligis. Igitur per Chriſtum te oro, quando ueſtrae contentionis finis aut

modus nullus alius nobis nunc uideatur, ut digneris istam susceptam quaestionem, ut in spongiam cadat, et inuicem ab armis discedatis, ut supra consului, et interim rebus immutatis et in publico tacitis ea, quae communiter docetis, urgeatis. Si hoc consilium, quod arbitror Christi esse, sequimini, dabit ipse gloriam et gratiam optatae pacis. Credo certe, credere te, quam magni te in animo meo faciam, ut digna sunt Dei dona, quae habes, alioquin tam serio et ardenter in hac re non agerem. Quare tu rursum fidele meum erga te cor ne despicias. Mi frater in Domino nostro Christo et connitere, ut istae scintillae inter nos sopiantur, ne in incendium crescant, quo nos omnes simul corripiamur. Dominus noster solatium nostrum Christus Jesus gubernet et dirigat corda uestra in charitate et patientia sua, Amen. d. 8. Octob. 1539. (rectius 1533.) *)

CXXXIII.

Wenceslao Linck.

G. et P. in Domino. Respondetur uobis et Senatui uestro in causa uestra de absolutione publica, mi Wenceslae, scribo et ipsi Osiandro. Nunc

*) Extat germ. T. XXI. Opp. Luth. Walch. p. 1467.

te per Christum oro, ut una cum tuis sodalibus uelis oculos tuos misericordiae non claudere, et hunc hominem suis opinionibus captum uel ut aegrotum agnoscere, et hoc cogitare, non quomodo publice confundatur et damnetur, ne ex scintilla ista oriatur incendium, sed potius, quantum fieri adhuc potest, modestia et prudentia simul et patientia uestra liberetur et seruetur. Omnino studendum est, qua ratione anima fratris istius lucrifiat per nos. Non credidissem ego hoc, neque iactabis, neque disseminabis in publicum, istum hominem tot cogitationibus occupatum, et ut ex scriptis suis intelligo, tam procul a sinceritate nostrae doctrinae positum. Sed, ut dixi, si magis irritaretur, effunderet maiora scandala, per quae etiamsi non uinceret, tamen turbas moueret, et negotia faceret, quae melius esset praecauere. Si igitur Vobis nostrum consilium placet, speramus, cum tempore rem istam in sese quieturam esse, nihil amittemus ista patientia et modestia. Et ille si non resipuerit, postea magis obfuerit sua pertinacia. Sic sentimus. Dominus Jesus componat istam et omnes turbas, Amen. in quo bene uale, mi frater. 8. Octob. 1533. *)

*) Schelhorn. Ergötzl. T. I. p. 79.

CXXXIV.

Nicolao Hausmanno.

G. et P. in Christo. Scripsi Principibus tuis, optime uir et charissime in Domino frater. Venient, ut audio, Cyclopes isti nostro euangelio et nobis infensi in uestrum oppidulum. Quid consulturi sint et acturi, facile subodorari licet, scil. Erfordia hos motus ciet fortasse. Dissipet Dominus consilia impiorum, et fiat uoluntas Patris nostri sicut in coelo ita et in terra, Amen. Caeterum spero non dignabuntur te uel salutatione uel alloquio ipsi majores tyranni. Tu alteris duobus, quorum unus dicitur Nullus, et alter Nemo, facile respondebis salutatione quadam, si forte dignabuntur te aspectu et colloquio. Tu uir fortis esto, et si casus dederit, breuibus et grauibus uerbis istis respondeto scil. animo in Christum erecto hos Goliathos fortiter conterendo, quia scriptum est, quod etiam isti, nisi desierint, scabellum pedibus nostri Domini futuri sint. Christus eorum furias ridet, nos ferimus, sed aliquando etiam ridebimus. Tu e contrario concepto animo et pleno uultu illos accipias tanquam bullas aquae (si forte loqui uelint) et cogita, loqui te cum his, quos noster Dominus Jesus ualde contemnit, et nobis in illo die iudicandos producet. Tum exiicient ampullas et

ſesquipedalia uerba, quibus nunc ad momentum turgent, et inflati ſunt, contra nos tunc erimus eorum Domini et iudices in aeternum. Dominus te confortet et glorificet per te nomen ſuum, ſicut coepit, in finem, Amen. Nos pro uobis contra illos oramus et orabimus, ne dubites. Chriſtus de ſuo throno uidet, nos ſumus ſine cura, ipſe pro nobis curat. Salutat te uxor mea Dominus Ketha et omnes noſtri. Noua nulla, niſi quod noſtri apud Erfordiam dicuntur modum non tenere; ſed ſic eſt regnum, Centaurorum, qui ſuos affectus potius quam Principum ſuorum commodum quaerunt. Oremus Deum. Vale in Chriſto, uigilia S. Galli (15. Octob.) 1533. *)

CXXXV.

Nicolao Hausmanno.

G. et P. in Domino. Credo te omnia audiſſe, optime Hausmanne, quae Deus fecit mirabilia nobiscum, ſc. pacem inter Principes, pacem cum Erphordienſibus, pacem iam priorem cum Caeſare, et haec omnia cum fauore et plauſu noſtri boni ſuper noſtros Principes Deo gratias, Amen. - - - ſemper in corde tuo candeſcere et luceſcere poſt tot nebulas et nubes.

---

*) Extat germ. T. XXI. Opp. Luth. Walch. p. 1409.

Praeterea Papiſtas indomiti furoris et clamoris iam inuaſi noui generis libello de priuata Miſſa, quia ſic uolunt. Tu, ſi tui Reguli mirabuntur, dices: Lutherum tentare papalem ſapientiam et potentiam. Si poterunt reddere rationem ſuae doctrinae, uicerint ſi non poterint, quid facerent, ſi in agone mortis haec et ultra haec diaboli quoque argumenta cogerentur ſentire. Nam omnino agendum eſt, ut conſcientiae ſint in omnibus rebus certae et ſecurae. Vno enim dubio relicto caetera omnia non firmari poſſunt. Quare ad liquidum eſt ſeparandum uerbum Dei a uerbo hominum, nam dies Domini declarat, quid lignum, ſtipula, foenum, quid aurum, argentum, gemmae ſint. Quaeritur enim certitudo ueritatis in hoc articulo, quam ſi dederint Papiſtae, laudabo eos, ſi non dederint, reuelatus erit perfecte Antichriſtus in omni ſua abominatione. Summa ſi te aliquis hoc meo libro forte impetet, uel quod alias alio de Papiſtis ſcripſerim, breuiter dices: Lutherus confitetur ſuam luctam diabolo recenter habitam, et petit abſolutionem, ut uerba libri clare dicunt, a Papiſtis. Qui eam dare poterit, beatus eſto, deſinat clamare uel abſurdum allegare ſed reſpondeat. Quae allegare inconueniens non eſt ſoluere argumenta, alioquin et Lutherus poterit (ſicuti iam coepit) iſta abſurda allegare, ſed ſenſit, non eſſe ſatis adeo confiteri

et petit sapientiam Papistarum illam superbam iudicantem mentem Dei et hominum. Bene in Domino uale, et ora pro me. Salutat te mea domina. fer. 4. post Luciae (d. 16. Dec.) 1533. *)

CXXXVI.

Leonhardo Beyero (Pastori Ecclesiae Zwiccauiensis).

Quid aliud respondeam, mi Leonharde, quam quod hic et docemus et facimus publice in isto casu, quem quaeris. Nam non semel nobis euenit. Non permittimus mulieribus, ut baptizent membrum ex utero porrectum, aut caput in ianua naturae apparens. Sed hortamur, ut Deo commendent oratione foetum istum, qui non in nostra, sed in illius solius est manu. Sic est etiam tot mensibus uiuens, ut Johannes Baptista in utero ante natiuitatem. Quem, si periculum uolumus uitare, etiam baptizare possumus, fusa aqua supra matris umbilicum, tanquam pannum, sub quo baptizatus infans inuolutus. Deo igitur commendandi sunt isti foetus nondum nati. Nihil est enim, quod ex Aristotele, et postea ex S. Augustino didicimus, anima est in qualibet parte tota, cum nec Augu-

*) Extat germ. T. XXI. Opp. Luth. Walch. p. 1411.

ſtinus hac ſit uſus philoſophia in rebus ſacris. Nos uerbum Dei ſequi oportet. Renaſci ſcilicet debet, qui natus eſt, ne efficiamur ſicut illi, qui retro S. Emerentianam, S. Annae matrem, adorarunt, et incipiamus baptizare uentrem ſponſae uel uirginis in ſpe futuri foetus, qui in corpore iſto ſeminabitur. Verboſius ſunt iſta, tu fac, ut iſte puer, qui nec natus nec bapzizatus fuit, baptizetur publice. Aliud eſſet, ſi iam natus baptizatus eſſet, hunc enim ſolum ad parochum in templum adducendus, et teſtimonio mulierum baptiſmus eius oratione et manuum impoſitione confirmandus. Vale in Chriſto. 1534. *)

CXXXVII.

Nicolao Hausmanno.

G. et P. in Chriſto, Petiit M. Georgius Helt tuo nomine, optime Hausmanne, ut tibi ſignificarem, quid praedicandum tibi ſit de baptiſmo, maxime cum hoc roget tuus Princeps et futurus ſit auditor Epiſcopus Moguntinus cum fratre. Ac licet non multum egeas mea in hac re opera, per gratiam Dei ditior in ſpiritu, et quod M. Georgius ad te miſerit forte ea, quae his diebus

*) Litt. Wochenblat. P. II. p. 308.

per 4 conciones praedicaui de baptiſmo, tamen pauperes ſeruire debent, ſeruiam et ipſe tibi mea opera.

Primum conſulerem, ut de noſtra doctrina ſine contentione et confutatione aduerſariam doctrinam tractares, ne ſacrilegi iſti tyranni putent ad irritandos eos te praedicare.

Igitur baptiſmum explices ita, ut Papiſtae quoque nil aliud docuiſſe uideantur, etiamſi frigidius docuerint. Neque tamen uelim eos nominari, ne uidearis illos palpare ſed rem ut tantum ſimpliciter tractares.

Nam baptiſmi laudes ſunt, quod ſit aqua diuina per uerbum Dei data ex ipſius mandato non hominum inuento, quod eſt foedus nouum Dei cum omnibus quaerentibus ſalutem aeternam, quod eſt opus Dei in hominibus, ideo non polluatur potentia abutentium.

Quod eſt unicus non reiterandus niſi cum blasphemia negatione primi baptiſmi tanquam non fuerit opus Dei, quod fide ſuſcipi et teneri debeat nec aliter utilis ſit.

Quod fructibus fidei foris ornandus eſt tota uita, quod ſuperet omnia uota et opera, quae alias fuerunt aut fieri poſſunt etiam obedientiam parentum et maiorum.

Quod honoratus ſit apparitione Patris per uocem filii per humanitatem, Spiritus S. per columbam. Quod apparitio iam includitur in iſtis uerbis in nomine Patris, Filii et Spiritus S.

Iſtum locum: Hic eſt filius meus etc. ſic tractaui: nobis a Patre offerri et declarari filium, Dominum omnium et Epiſcopum animarum, in quo omnia ſunt beneplacita, extra quem nihil ſunt omnia, quae facimus, ſolus rex, quia filius haeres omnium, ſolus Epiſcopus, quia in ipſo complacita ſunt omnia etc. reliqua M. Georgius. Dom. Sexag. (d. 9. Febr.) 1534. *)

CXXXVIII.

Nicolao Hausmanno.

G. et P. in D. Tuam ordinationem legi, mi uir optime, et M. Forchemio dixi meam ſententiam, ſc. quod excudi illa et inuulgari palam non uideretur conſultum. Nam iam dudum nos poenitet noſtrae reformationis editae, quia exemplum factum eſt omnibus aliis ſuas quoque edendi, et ſic in infinitum creuit tum uarietas, tum multitudo ceremoniarum, ut in breui ſimus longe ſuperaturi Papiſtarum maria et ſyluas. Id potius conſului,

---

*) Extat germ. T. XXI. Opp. Luth. Walch. p. 1413.

ut exemplari retento in ſcripto ſimpliciter indicaretur Paſtoribus per articulos, quod et quantum pro hoc tempore deberent facere, quemadmodum ſub Papatu ordo ut uocatur diuinus tradebatur, ut ſic paulatim uſu et re ipſa ſtabilirentur absque traditione et ſcripto uel impoſtura. Demum ut nobiscum uel aliis uicinis quam perfecte conformia ſtruerentur, ne Papiſtis et ſectis os aperiamus latrandi et calumniandi noſtras, ut iactant, diſcordias, ut latius ipſe reſpondebit M. Georgius, quem excuſatum habeas oro, mea culpa tardus tibi reſpondet, ſatis diligens fuit ſolicitator. Sed ego ante prandium prohibeor a ſtilo et charta ob ualetudinem capitis, quam irritari nolim iſto aere nouo anni. Dominus Jeſus ſit tecum et optimo tuo, Principi, meas pauperes preces ad Dominum offerto. Valde enim laetificat me ipſorum tam pura et ſincera ſeriaque pietas in Chriſtum, ut dicere nequeam. Ipſe ſuauiſſimus Dominus noſter ſanctificet et augeat eorum fidem ſpiritu recto ſancto, Amen. Ora pro me et in Domino bene uale. Vigilia dom. Iudica, (d. 21. Mart.) 1534. *)

---

*) Extat germ. T. XXI. Opp. Luth. Walch. p. 1415.

CXXXIX.

Nicolao Hausmanno.

G. et P. in C. Nil erat, quod ſcriberem, uir optime, niſi ut teſtimonium Domino Chriſtophoro darem, eum fuiſſe hic apud me et conſulto me reſponſionem accepiſſe, mihi ualde placet, ut iſthic apud ueſtros officium eccleſiaſtici ſuſcipiat. Tu facias optimi Patroni officium erga eum. Bene uale. Ordinationem tuam nondum remitto, quia pudet me ſic impudentem fuiſſe et tam libere mutaſſe et notaſſe ac deleuiſſe aliquot loca. Cum tempore Deo dante latius. Chriſtus tecum. Ora pro me. Salutat te Dominus meus Ketha reuerenter. f. 2. poſt Iudica, 1534. *)

CXL.

Nicolao Hausmanno.

G. et P. in C. Libenter audio, uir optime, quae et tu ſcribis et uir iſte bonus narrauit de optimis Principibus. Chriſtus confortet et perficiat opus ſuum in ipſis ſpiritu magno et perſeuerante, Amen.

Nil mirum eſt, ſi Epiſcopus Halenſis ſeſe tam ſerio opponit, ſentit ſe non ita facile poſſe carere optimo D. Georgio, qui negotia ſui regni ita cu-

*) Extat germ. T. XXI. Opp. Luth. Walch. p. 1416.

rauit fideliter. Et tamen intelligit, non poſſe eum retinere apud ſe, ſi euangelium ſequatur et confiteatur. Ideo fit blanda Siren et tentat eum, ut negato Chriſto, qui uiuit et regnat in aeternum, unius Epiſcopi, qui nullo momento certae uitae eſt, mendaciis obediat. Dixi ſaepius, ſi nullus eſſet Papa, unum iſtum Epiſcopum dignum eſſe Papatu, adeo pollet omnibus uirtutibus papalibus, quas et nunc palam exerit, quam feliciter tempus ipſum docebit. De hoc ſatis.

Placuit ualde, quod ſcribis, non fuiſſe conſilii tui, ut ordinationes tuae uulgarentur. Sic enim fiet, ut cum tempore res ipſa melius ordinet omnia. Solent enim huiusmodi poſt factum melius ſcribi, quam ante factum ordinari. Lex enim datur, ſed non fit, hiſtoria uero fit, et poſtea ſcribitur.

Dominus Jeſus, qui te organon ſuum eſſe uoluit in iſto loco, impleat te ſpiritu gaudii et alacritatis ad faciendum fructum plurimum pro ſua gloria, Amen. Sabbatho poſt Judica, (d. 28. Martii) 1534. *)

---

*) Extat germ. T: XXI. Opp. Luth. Walch. p. 1418.

CXLI.

Nicolao Hausmanno.

G. et P. Excepi hunc uirum, optime uir, ut ſcripſiſti ad colloquium, ut tibi referret, ſi iſta res tanti fiat, ut pro ea ſcriberes, cum multi me hoſtes et inimici etiam fatigent colloquio, qui peſſima poſtea de me dicunt et faciunt.

De Baſtiano Schaden uerum eſt, quod me rogauit, ut monerem te, ſed quia certus ſum, illum abundare et te egere, interim tibi nolui indicare neque moleſtare, ſed nec adhuc uolo te moleſtari. Dicam uel ſcribam ei, ut patientiam habeat tecum ipſe tam diues, et faciet ut confido.

Nos hic ſedemus in periculis incendiariorum omni hora, et res geritur ſub alienis perſonis (ut de credulitate auſim iudicare) per iſtum hominem organon Satanae, Marggraf Joachim. Deus forte uocat ſic eum ad perditionem eius uel materiae fiet belli, ſi rurſus ei mitterentur (Deus auertat) incendiarii.

Epiſcopum Haleńſem fuiſſe quidem ſaeuum audiuimus, ſed nondum executum eſſe omnia. Ipſe eſt unus ſocius fratri non diſſimilis. Chriſtus ueniet ſuper iſtos Epicureos ſubito. Hoc oro et peto fiat Amen. Vale in Domino et ora pro me. Dom. Quaſim. (d. 12. April.) 1534. *)

*) Extat germ. T. XXI. Opp. Luth. Walch. p. 1419.

CXLII.

Friderico Myconio.

Sal. et pacem in Christo. Etsi catarrhosus et tussiosus scribere merito non deberem, sicuti nec multum possum, tamen literis tuis tam amicis uolui, mi Myconi, liturando et delirando respondere. Pergratum erat munus tuum caseaceum, maxime quia tu gratus es, et non solum quia gratus es, sed etiam quia es gratus. Ideoque et grata fuit gratitudo tua. Nec dubito quin et Christo gratus sis, cui adeo es gratus. Rara enim auis in hoc tempore gratus aliquis, ideoque et rarus est, qui gratus sit Deo. Christus conseruet nos in cognitione et agnitione sui, simul et confessione et gratitudine ueraci. Ora pro me. Vale cum omnibus tuis. 23. Septemb. 1534. *)

CXLIII.

Nicolao Hausmanno.

G. et P. Querela magna oritur, mi Hausmanne, inter nobilem de Resen et suum Pastorem, et Pastor etiam non satis sobrie uidetur agere contra dominam, cum alias sint satis (ne dicam alieni)

---

*) Io. Mart. Schamelii Numburgo literat. P. I. p. 123. etc. VN. 1727. p. 12.

certe infirmi in Christo recens accepto. Tu igitur uide, ut istud scandalum per Principes uestros tollatur, quantum fieri potest.

M. Francisco commendaui, ut exploraret meam negligentiam et oscitantiam, i. e. mihi incidit, me promisisse, nescio cui, compaternitatem futuram. Hoc iam scire cupio a propinquante partu, ne fidem fallerem. Cooperare, quantum potes. Vale in Christo et ora pro me. d. 14. Octob. 1534. *)

CXLIV.

Nicolao Hausmanno.

G. et P. in Christo. Magnifice laetamur et exultamus omnes, optime Hausmanne, de benedictione diuina qua Deus benedixit optimos et Deo amabiles Principes per felicem partum et natiuitatem noui Principis et haeredis, rogoque ut eis indices nostras gratulationes et preces, ut Deus, qui coepit hanc benedictionem, perficiat iam in gloriam suam et ad commodum et pacem rei publicae.

Noua nulla sunt, nisi quae te scire putamus de Monasteriensi nouo rege et Apostolis eius missis in Susatum, ubi octo eorum capite plexi sunt. Christus pergat et perficiat opus suum, Amen.

In

*) Extat germ. T. XXI. Opp. Luth. Walch. p. 1420.

In ſuperiore Germania uidentur motus futuri propter bannum imperiale, quod camera imperialis dicitur aperire contra ciuitates Zuinglianas, ſed metuo, ne nos potius petant. Chriſtus regnet et uincat, Amen. Vale in Chriſto et ora pro me quoque. f. 3. poſt Martini (d. 13. Nou.) 1534. *)

CXLV.

Argentinenſis Eccleſiae Paſtoribus.

G. et P. in C. Sentio ex literis ueſtris, optimi uiri, fratres, quod in literis meis proximis acceptus ſum a uobis, quaſi concordiam noſtram reiecerim in arbitrium Principum aut ciuitatum penitus, cum tamen hoc non uoluerim, ſed ut commodius fieret, arbitrabar illorum quoque ſententia id melius fieri. Verum ego ſic ſum animatus, ut cupiam conuenire nos, etiamſi Principes aut ciuitates nolint cooperari. Nihil enim mihi nunc cano et decrepito, et omnibus rebus defuncto, et ſaturo magis in uotis eſt, quam ut concordia iſta, quanta fieri poteſt, ante dormitionem meam firmetur, ſi uolent Principes cooperari, bene; ſin minus, tamen conabor impetrare, ut ſaltem ſinant

*) Extat germ. T. XXI. Opp. Luth. Walch. p. 1421.

nos, ac ferant conuentum nostrum. Quanquam multo meliora praesertim de nostro Principe spero. De tempore, uos ipsi recte sentitis, quod ante Pascha uix possit fieri, uel ob mei corporis ualetudinem. Tamen faciam, quod possum, et paratus ero quocunque tempore, siue ante siue post Pascha conueniendum sit. Vellem enim ipse libenter adesse. Locum significabimus quam primum Princeps noster redierit. Nam extra Ducatum nostrum mihi uix uel nunquam concedetur facultas. Ego condicam nostro Principi in Thuringia uel Isenacum, Gotham, Vinariam, et ex his unam impetrabo. Interim curabo, ut ecclesiarum hic undique suffragia et ministrorum consensum habeam, ne opus sit multa turba. Idem uos fecisse, libenter audio. Valete et orate. Nec dubitetis, nobis etiam esse cordi istam concordiam, nisi Christum Dominum pro fabula uellemus habere, pro quo ego, ut unus ex ipsius confessoribus indignus, tot a satana et mundo passus sum, et adhuc patior cruces. Oramus enim et nos pro uobis diligenter, tum publicis tum priuatis orationibus. Deo gloria, Amen. 1535. *)

---

*) Epist. ad Io. Schwebelium p. 233.

CXLVI.

M. Antonio Lauterbach, Miniſtro Chriſti in Leyſnig.

G. et P. Noſti, optime Antoni, ſic eſſe diuiſas uiſitationis dioceſes, ut nobis nihil ſit autoritatis in ueſtris partibus. Ideo praeter exhortationes nihil poſſumus apud uos. Quare ſi aliud non poteſtis, ad Principem refente noſtram cauſam, quandoquidem noſtra exhortatio nihil hactenus profuit. Si Princeps rem nobis commiſerit, faciemus, quae poterimus, cum autoritate. Doleo ualde de iſto diſſidio et ſcandalo, tamen Deus ſanabit illud.

Eſt apud uos monialis marita Georgii Schmid Chriſtina ab Honsperg miſera. Huic mittere uolui florenum, ſed nuntiorum tanta eſt mihi cognita perfidia, nunc enim amiſerunt, nunc eis eſt ſurreptum, ut non fuerim auſus eis credere. Quare te oro, ut nomine meo alicunde ei procures florenum, ego fideliter reddam. Si nusquam poteris, M. Auguſtinum Colbicenſem alloquere, ut de pecunia mei Wolfgangi futura ad Walpurgim interim expromi curet et poſtea defalcet. Mittit eidem Chriſtinae, ſicut rogauit mea Ketha hunc Kattegiſſemann, ſic enim ſcribit. Deus tecum et cum tuis, Amen. Saluta tuam Agnem et omnes

agnellos castitate fidei dilectos. f. 6. post Epiph. (d. 11. Januar.) 1535. *)

CXLVII.

Johanni Carioni.

G. et P. in Christo. Gratae fuerunt literae tuae, optime Charon, et cum aliud non possum ostendere uiro bono, de quo scripsisti, quam ut ostenderem ei fauorem meum, et salutantem salutarem, affuit simul ille Comes Palatinus Georg. Sabinus, qui forte et ipse ad te scribet. Gratulor certe non tantum tibi, quod dignitate Doctorali amplificatus es, sed etiam illi ipsi Palatino, quod tam magnum et grandem et sublimem Doctorem promouerit. Crede mihi, paucos creabit deinceps Doctores tanta magnitudine et sublimitate. Mirabitur ipse (si olim te uiderit ad littus suum uenientem) Charon, et metuet, ne magnitudine tanti Doctoris cymba eius tam fragilis et umbratilis uel frangatur uel mergatur. Vel certe cogeris pro magnitudine tanti Doctoris magnum etiam dare naulum. Quare tu uideris, ut, qui te fecit Doctorem, impetret etiam tibi tam magnum stipendium. Et utinam tam magnum, (sed totum aureum) quia tu es magnus

*) Extat germ. T. XXI. Opp. Luth. Walch. p. 1422.

Doctor. Tum certe eris tutissimus a Charonte illo, caetera auarissimo, ut qui habeas, quo illum largiter remuneres etiam, nedum naulum soluas. Haec iocari libuit tecum, quia et tu mihi uisus es in literis tuis iocari. Commenda me illustrissimo tuo Principi iuniori. Nam quid aurae mihi sit apud patrem nescio. Vale in Domino, mi Charon, et ora pro me. fer. 3. post Miserie. (d. 3. Maii) 1535. *)

Salsamenta missa per tuas literas accepit meus Ketha Dominus, et miratur multitudinem, dicens: D. Speratus, magnus Episcopus, misit satis magnum uas piscium. Cui ego dixi: etiam per magnum uirum Charontem. Omnia inquit igitur magna sunt hodie.

CXLVIII.

Omnibus bonis et piis maxime iis, qui Christum colunt et confitentur.

Omnibus bonis et piis uiris, ad quos hic homo, qui has literas reddet, peruenerit, gratiam Dei et pacem. Commendat ipsa res et facies hominem hunc omnibus, qui charitatem Christi nouerunt, et humanam rationem habent. Quare non opus est ulla grauiore admonitione. Faciat igitur

*) VN. 1729. p. 877.

et ferat unusquisque id, quod conſciontia dictat, donec miſerente Deo ad pacem et quietem redeat afflictus et uexatus homo. In Chriſto ſit omnibus uobis uita et ſalus, Amen. Die aſcenſionis Domini, (d. 6. Maii) 1535. *)

CXLIX.

Auguſtanae Eccleſiae Miniſtris.

G. et P. in C. Quanto gaudio ueſtras, Chariſſimi fratres, acceperim literas, malo ex uiua epiſtola quae eſt ueſter, D. Gereon (Seiler) et Caſpar Huber, uos cognoſcere, quam ex elementis iſtis grammaticis et mortuis. Nam nihil laetius mihi contigit ipſo toto curſu noſtri euangelii, quam poſt triſte hoc diſſidium, tandem ſinceram ſperare imo uidere inter nos concordiam. Ita enim ipſe D. Gereon narrat, ita ueſtrae ſonant et urgent literae, ut mihiu ulnus meum, ſcilicet ſuſpicio penitus ſanatum ſit, etiam ne cicatrice quidem ſuperſtite. Quare per Chriſtum uos oro, qui hoc opus in uobis coepit, pergite et perſeuerate in hoc fructu ſpiritus, et nos amplectimini ulnis et uiſceribus purae charitatis, ſicuti uos amplectimur et ſuſcipimus gremio ſincerae fidei et concordiae. Ac uo-

*) Extat germ. T. XXI. Opp. Luth. Walch. p. 1423.

bis persuadete in Christo firmiter, nihil posse a uobis imponi nobis, quod pro ista concordia firmanda non simus hilariter et facturi et passuri, et si opus sit, omnia. Nam firmata ista concordia gaudens et lachrymans suauiter cantabo: nunc dimittis Domine seruum tuum in pace, nam post me relinquam ecclesiis pacem, hoc est, gloriam Dei, poenam diaboli, et ultionem omnium hostium et inimicorum. Christus gubernet uos et perficiat in ista sententia, ut gaudium mihi plenum fiat, et post tot cruces et infernos felicem saltem horam exspirandi habeam, Amen. Orate pro me, sicut et ego pro uobis. (d. 20. Julii.) 1535. *)

CL.

Vrbano Regio.

G. et P. in Christo, qui est pax et solatium nostrum. Non admodum contristatus sum, mi Vrbane, quod significas, te pati angelum satanae, et palum carnis tuae. Nam in hoc agnosco conformari te imagini filii Dei et omnium sanctorum. Et arbitror tibi sicut et aliis fratribus in loco sublimi positis tentationem hanc euenire quae humiliet eos.

---

*) Extat ap. Seckend. L. III. p. 124. et in Epist. ad Schwebelium, p. 239.

Igitur uiriliter confortetur cor tuum, et sustine Dominum, qui ad Paulum dicit: uirtus mea in infirmitate perficitur. Qui uocauit nos, fidelis est, et perficiet nos in illo die, Amen. Dominum istum audiui, et consolatus sum, quantum Dominus dedit. Jussi confidere et scire, quod non solus sit, qui aliquando uexetur. Eadem enim fiunt et uniuersae fraternitati nostrae, quae in mundo est. Inuicem oportet nos ferre et ferri. Sic Christus nos omnes fert a principio mundi usque ad finem. Non semper possumus esse firmi et fortes. Nec semper infirmi et fragiles, sed secundum quod illi qui spirat ubi et quando uult, uidetur, ut nos erudiat hac uicissitudine, ne forte, si semper firmi essemus, superbiremus, aut si semper infirmi essemus, desperaremus. Ipse nouit figmentum nostrum, ait Dauid, et quod sumus puluis, et tunc optime habemus, cum et ipsi agnoscamus esse nos figmentum plane pulnerulentum et puluereum. Sed quid tum multa coram te, qui Christi es? Nisi quod frater fratrem alloqui oporteat, et manus mutuas tradere in hac ualle lachrymarum, donec oriatur illa dies, quam expectamus. Salutabis reuerenter optimum Principem tuum, cui uehementer gratulor, Deo teste, istum spiritum scripturae amantem, et precor, ut benedictionem tantam augeat in ipso et omnibus nobis pater misericordiarum, Amen.

Optime uale in eodem Dominō cum tuis, et ora simul pro me quoque peccatore. Witteb. die S. Dauid. (d. 30. Dec.) 1535. *)

CLI.

Vito Theodoro.

G. et P. in Christo. Gratulor tibi, mi Vite, coniugium optatum contigisse, precorque felicitatem. Sed ne quid nimis, hoc est, ne ultra sortem communem omnium maritorum accidant omnia, ne forte S. Paulum mendacem tandem facias, qui audet nobis fortunatis et cupidis maritis obstrepere et dicere, tribulationem carnis habebunt huiusmodi. Quodsi aliquando eueniat casus, ut Paulus tibi ueracior uideatur, quam uelles, tum tu memineris, ut uirum praestes, qui mulierculae infirmitatem ferre possit, et glorietur, ut Petrus docet, et regulam Lesbiam serues, potiusque iustas tibi iras fingas. Nec tamen potestatem omnem facies tui. Sed quid ego sus Mineruam tam importune, adhuc nuptiarum ardentibus amoribus, cum scire debeam, te posse centum uxores (quae tua iam est noua marititas) feliciter regere. Multo magis gratulor uocationi tuae ad ecclesiae functionem, oro

*) VN. 1705. p. 639.

et ſpero ſimul, quod non diſcedes a forma doctrinae, quam hic hauſiſti potius quam bibiſti. Et mandaui D. Hieronymo Schallero, ut tibi diceret nomine meo, ne gentile illud ueſtrum ſinas in te regnare, etiamſi forte aliquando te tentauerit, germanice uocatur Dünckelfein, ille ſcilicet, qui den Tanz gut macht. Vides enim illi nobis faciunt turbas, qui e nobis exierunt. Quare uxorem tuam a me ſalutatam et rogatam uolo, ut diligenter id caueat totis corporis et animae uiribus, ne fias adulter cum illa formoſiſſima meretrice, quae philautia dicitur, ſed praeueniat et liberet te ab aeſtu libidinis in illam, ſi qua te ſollicitauerit, ſicut Paulus docet Tit. I. Non authaden. Scin' quid uelit? Vale in Domino. Salutat te meus Dominus Ketha, et optat omnia felicia tam in coniugio quam miniſterio. Et tu uiciſſim pro nobis ora. Vittemb. 14. Januarii, 1536. *)

CLII.

Nicolao Hausmanno.

G. et P. in C. Rogo te, mi Hausmanne, ſinas illas nuptias M. Peters procedere. Nil enim habet in eam poteſtatis M. Peter, cum ipſa ſit uidua iamdudum emancipata ſuique iuris et M. Pe-

*) Strobels Miſcellan. P.I. p. 166.

ter etiam publico iudicio priuatus domo et omnibus possessionibus. Ipsa periculo suo nubit et satis est, quod M. Peter cum priore genero negotium habuit tam triste, ne etiam se nunc cum isto multum misceat, sed sua curet.

Pro Pastore Worlizio iam nullam scio conditionem uacuam (ne frustra eum lactem) si autem potero, ubi aliqua uacauerit, libenter ei profuero.

Nouitates nullas habeo praeter eas, quas ex M. Francisco isthic absque dubio audisti. Anglica hic legatio ad M. Philippum expectat, ut causam Regis expediat. Ego uero pluribus intentus minor fio ad singula semper. Salutat te reuerenter mea Ketha, in Christo bene uale. De Spiegelii et tua causa alias breui scribam, iterum uale. die S. Antonii (17. Januar.) 1536. *)

CLIII.

Nicolao Hausmanno.

G. et P. in C. Optime in Christo frater, et uenerabilis uir, commendo hunc literarum redditorem, qui mihi narrat, sibi esse spem factam uel occasionem apud uos impetrandi aliquam scholasticam conditionem. Itaque rogauit me, ut hoc no-

*) Extat germ. T. XXI. Opp. Luth. Walch. p. 1440.

mine ad te ſcriberem et ſeſe tibi commendarem. Quod facio hoc lubentius, quod ipſe habet ſcriptum teſtimonium a Comite de Hoya in Weſtphalia ad me datum pro eo, ut non ſit tanquam alienus et ſuſpectus habendus. Si igitur eſt apud uos aliqua eius opera iſthic in ſchola ueſtra, fac quod poteris pro eo.

Nihil nouarum niſi quod ego publico ſcripto meditor inuadere crocodilum, quem priuatis ad eum literis feci Draconem et diaboli Cardinalem. Orate, ut Chriſtus quod coepit in eo, perficiat ſuum iudicium, quandoquidem gratiam Dei finalem impetrantes non ceſſat perſequi.

De nuptiis in Torga nil habeo, quam quod omnia magnifica fuerint. Ego ueſperi ſponſum et ſponſam copulaui, mane D. Pomeranus benedixit, quia ego uertigine correptus non poſſem, plane noſtro more, ut in catechiſmo habetur, ita enim Princeps uoluerat. Sponſus Princeps optimus juuenis, ſobrius, modeſtus eſt ita ut me magno affecerit gaudio eius aſpectus, geſtus, mores et omnia. Chriſtus feruet et augeat eum omni benedictione, Amen. Salutat te meus Dominus Ketha reuerenter. Vale in Domino et ora pro me. Vigilia Reminiſcere, (d. 11. Mart.) 1536. *)

---

*) Extat germ. T. XXI. Opp. Luth. Walch. p. 1444.

CLIV.

Martino Bucero.

S. et P. in Christo. Paucis scribere cogor, quia hos 14 dies prostratus decubui cruciatibus non ferendis coxendicis sinistrae, uix iam respiro. De conuentu nostro sic habet sententia nostra. Locum nostris Princeps noster signauit Isenacum in confinio Hassiae, 28 milliaribus a Wittenberga, ubi Justus Menius episcopatur. Tempus mihi uideretur idoneum Dominica 4. post Pascha. Quocirca cum tuis super hac re delibera, et responde. Quodsi tertia uel alia Dominica placeret magis, nos non grauabimur eam acceptare. Tantum tu cura, ut Brentius, Schnepfius et alii id per uos sciant, quos putabitis adesse oportere. Ego Osiandro et aliis Norimbergam significo. Praeterea nullis in superiori Germania. Ea scilicet tibi relicta cura. Vale in Christo bene, et ora pro me. Die annunciationis Mariae (25. Martii) 1536. *)

CLV.

Joanni Brismanno.

G. et P. Gratae semper fuere mihi tuae litterae, mi Brismanne, quibus quod non semper re-

*) Ritters evang. Denckmal der Stadt Franckfurt, p. 345.

ſpondi, ipſe tu tibi reddis rationem in litteris tuis, ſcilicet uere ſum occupatus. Sed occupationis non eſt tanta culpa, quanta tabellariorum, qui uel ſuperbia uel ſuis rebus capti ſaepius me negligunt, etiam cum ſcripſerim. Praeterea iam ſenex ac non ſemel aegrotus grauiter cogor intermittere multo maiora, quam quae ſunt in ſcribendis ad amicos epiſtolis, quos ego confido maxime non egere iſtis amicitiae illecebris. Sed etiam me mortuo uiuos et uegetos doctrinae Chriſti miniſtros, inter quos tu mihi non poſtremus ſemper habitus es, Chriſtus in te coepit opus bonum, benedicat et confortet te in iſtis peſſimis temporibus. Sed Chriſtus uincit et regnat, amen.

Salutabis mihi reuerenter Dominum Poliandrum, et omnes comminiſtros, ſed et D. Baſilium Axt cum ſuis.

Ego hoc paſchate cum Chriſto reſurrexi a morte, ita enim aegrotaui, ut mihi perſuaſerim eſſe migrandum ad Chriſtum Dominum noſtrum, quod cupide expectabam et optabam; ſed alia fuit uoluntas in coelo, ſcilicet, ut plus malorum uideam usque in foueam. Nam ſectarii ſpiritus toties a Deo contuſi non ceſſant tamen, ſicut et tu ſcribis, furere, quia ille ipſorum Deus non ceſſat rugiens, quaerens quem deuoret. Oremus, oremus, oremus fortiter in fide et uigiles. Certe ipſe non dormit.

Vale in Christo, mi frater, et ora pro me, ut ex maligno mundo bona hora me tollat Dominus noster Jesus Christus, Amen. Die prima Maii, 1536. *)

CLVI.

Capitoni.

G. et P. in C. Litterae tuae, mi Capito, d. 22. Aprilis datae, sunt mihi redditae undecima Maii, et ita ante triduum Dominicae quartae, quum ego constitueram diem conuentus nostri in Isennach. Quare etiam si ualerem, tamen non possem eo die isthic adesse. Reliquum est, quando adhuc lassus sum ab aegritudine recenti, nec longius iter tentandum, oro, si fieri potest, et uelitis, quotquot isthic conueneritis, dignemini propius accedere, nempe in Grimmam, quae tribus milliaribus post Lipsiam sita est, ibi enim uel ipse ero Dominica quinta, uel saltem cum nostris, si ualetudo impediat, literas possum intra diem dare et recipere. Alioquin nulla prorsus ratio est aut facultas apparendi mihi, Deus est qui si rem cogit temperare, nobis inuitis et longe alia cogitantibus, quae possumus. M. Philippus aberat, ideo non respondere po-

*) Acta Boruss. Tom. I. p. 802.

tuit. Christus benedicat, ut uera et solida fiat concordia, Amen. 12. Mai, 1536. *)

CLVII.
Nicolao ab Amsdorf.

G. et P. in Domino. Mitto ad te mi Amsdorfi, ea, quae in hoc nostro conuentu egimus, simul petens, ut et aliis ea communices, praesertim maiorum urbium pastoribus, quacunque occasione poteris, tuumque et illorum, si potes, iudicium rescribas.

Liber ille Biliandri seu epistolarum editus est inuitis et indignantibus eis, qui hic fuerunt. Nam Heluetiorum ecclesiae non sunt in isto concordiae negotio, licet illi bene sperent et dicant, respublicas et plebes esse fessas et satiatas istius dissidii et cupere sartam concordiam. Deus benedicat uobis secundum suam clementiam, Amen. Scripsi haec fessus a concione, alias plura. In Domino uale. Altera Pentecostes, (d. 5. Junii) 1536. **)

CLVIII.
Nicolao Hausmanno.

G. et P. Raro tibi scribo, optime Nicolae, quia arbitrabar nihil esse, cum sint omnia nostra tibi

*) Ritter. Evang. Denckmal der Stadt Franckfurt, p. 347.
**) E. MS. Vin.

tibi ſemper notiſſima. Et citius noua reſciſcat aula tua quam noſtra. Marchio uterque ab euangelio alieni facti ſunt, ſi id ignoras, id nunc ſcito, et neſcio quid mali inter nos hic gliſcit. Nouum conſilium meum tibi ſeruo ſuper te. Nam meditor te iſthinc auocare, et meum domeſticum facere, ut tandem et pace et quiete fruaris. Habeo iam fratrem tuum promiſſorem, quod te hic apud me alet. Video enim iſtam conditionem non eſſe pro te.

D. Hieronymus Weller laetus eſt, migrauit a me in domum propriam mihi uicinam, quod libenter uidi.

Caeſaris res non adeo ſuperba fortuna eſt, quam iactatur. Auditur ei fame periiſſe circiter quinque millia, inter quae aliquot praeſtantes belli Duces, ut Marchio Fridericus, praepoſitus Würzburgenſis, Caſpar a Fronsberg, ac neſcio qui alii.

Concilium mihi uerius ſimulari quam agi uidetur. Licet Dux Georgius dicatur grandem ſcribere librum contra Epiſcopos, quos cogitat redigere in ordinem ſecundum canones, h. e. diabolum cum Deo concordare.

Ex Anglia huc ſcribit Aleſius noſter, Reginam nouam Johannem coronandam eſſe feſto Michaelis, hoſtem, ſicut dixit, euangelii, et eſt facies regni alia, ita ut Antonius lateat et taceat, nec ſine pe-

riculo. Tamen Rex Papam nihilominus repudiare perseuerat, et decretum est uniuersi regni consensu, ne quis ad concilium proficiscatur, nisi rex antea consensit in concilium, quod nunquam erit. Monarchis dissidentibus concilium fabula fiet, aut saltem tempore praefixo non fiet. Elapso autem termino quis alium statuet? Es ist alle Welt voll Büberey. Vale in Christo et ora pro me, mi frater, nam indigeo satis nimis. Saluta mihi reuerenter Principes tuos optimos. f. 4. post Lamberti (20. Sept.) 1536. *)

CLIX.

Justo Menio, Pastori Jsenacensi.

G. et P. in Domino. Est uerum, mi Juste, quod audisti, Bucerum quidem nobiscum coepisse sentire de Sacramento, nisi literae ad me et Philippum datae fallant, quod non facile credo. Caeterum an alii quoque idem uelint, adhuc incertum est. Bucerus laborat et agit quidem, ut idem uelint, et effecit tantum, ut concedant omnes, uere adesse et porrigi corpus Domini in coena etiam corporali praesentia. Sed caeteri tantum fideli animae ac piae sic porrigi et adesse in cibum. Bu-

*) Extat germ. T. XXI. Opp. Luth. Walch. p. 1451.

cerus uero consentit et impiorum manu porrigi et ore sumi. Hoc enim literae eius clare testantur. Aliorum uestrorum literis et auunculi mei respondere non possum. Obruor literis ex omni parte, unus et solus, et singuli arbitrantur sua negotia sola esse quae ociosus Lutherus expediat. Deinde moniti ferme omnes non possunt expectare, non habent sumtus, habent alia quoque agere, ita ut literas sibi paratas sperent, statim ubi suas reddiderint. Haec Georgio, Thomae et auunculo meo dixeris, cum tempore ipsis respondebo et cooperabor. Ich werde ia nicht unus omnium omnia negotia et solus subito et simul ausrichten. Vale et pro me ora. Datae 1529. (1536.) *)

CLX.

Johanni Luthero.

G. et P. in Domino. Placuerunt mihi hactenus, mi carissime fili, tua studia, et literae ad me datae. Si ita pergis (facere), facis non modo mihi, ut patri te amanti, rem gratam, sed etiam tibi maxime profuturam, ne uidearis degenerasse. Quare fac, ut id, quod coepisti, diligenter prosequaris. Deus enim qui iussit, ut filii parentibus obediant,

*) VN. 1721. p. 357.

promiſit etiam benedictionem filjis obedientibus. Hanc benedictionem uide, ut unice ſpectes, nec ullis exempliis malis ſinas te abduci. Nam et idem Deus minatus eſt filiis inobedientibus maledictionem. Time igitur Deum benedicentem et maledicentem, qui etiamſi differat ſuas promiſſiones et minas in perniciem malorum, tamen ſatis uelociter implet in ſalutem bonorum. Time igitur Deum, et audi parentes tuos, qui certe nil niſi optima tibi uolunt, et fuge colloquia turpia et inhoneſta. Mater tua ex corde te ſalutat, item Muhme Lehne, ſimiliter ſorores et fratres tui, qui etiam omnes expectant felicem curſum et finem ſtudii tui. Mater iuſſit, ut ſalutes praeceptorem et uxorem eius. Deinde ſi uelint tecum adeſſe in his carnipriuiis ſiue feriis laetitiae, liceat, dum ego idem inde *) abſum, id ualde rogat Muhme Lehne. Vale mi fili, et diſce, et audi monita bonorum uirorum. Deus ſit tecum. Datae poſt conuerſ. Pauli. (d. 26. Januar.) 1537. **) (M. Lutherus pater tuus carne et ſpiritu.)

---

*) pro idem inde interim.

**) Schelhorn. Ergötzl. T. II. p. 42.

CLXI.

Wolffgango Capitoni.

G. et P. in Christo. Per istos Gallos, mihi a te commendatos, mi Capito, uolui rescribere, forte, quae uiderunt et audierunt, ipsi narrabunt. De tomis librorum meorum disponendis ego frigidior sum et segnior, eo quod Saturnina fame percitus magis cuperem eos omnes deuorare. Nullum enim agnosco meum iustum librum, nisi forte de Seruo Arbitrio, et Catechismum. Mandaui tamen negotium Casp. Crucigero, si quid faciendum est. Praesagiebat mihi cito animus meus, uos sudaturos esse multum in hac causa, sed orabam simul, ne Christus noster sineret uos frustra laborare. Satanam Augustanum etiam alii mihi satis pinxerunt; sed expectemus eum, qui coepit opus suum, is suo tempore ueniens ueniet, nec tardabit, ideo non desperemus. Nam de te et Bucero sum persuasus, quod sincere et candide agatis: nec solum hoc, sed gaudeo quoque, de uobis idem sentire omnes, qui ad me scribunt, uel coram loquuntur, uestri memores.

Pro annulo aureo gratias tibi agit mea Catharina, quam uix unquam magis indignatam uidi, quam ubi sensit, eum uel furto sublatum, uel sua negligentia, (quod nec mihi uerosimile est, licet

usque ingerenti) amissum, quod persuaseram ei, hoc donum felix esse omen, et augurium ei missum, tanquam nunc certum esset, uestram Ecclesiam cum nostra suauiter concordare, id mire dolet mulieri. Haec scribo, ut scias, cor nostrum esse perfectum et sincerum in spe concordiae. Christus perficiat rem ipsam, Amen. Sed haec addo, nil ultra mittas uxori, ne duplices tristitiam. Etenim Christus est satis utrinque nobis. Saluta omnes uestros nostrosque diligenter, et iube eos de nobis cogitare optime, sicut et nos de uobis. Dominus Jesus sit sigillum huius uoluntatis, cui gloria cum Patre et Spiritu S. in aeternum, Amen. 9. Julii, 1537. *)

CLXII.

Johanni Langero, Pastori Coburgensi.

G. et P. in C. Optime Langere, paucis scribo, quia nota est tibi tragoedia inter istas duas matronas Quaestricem et Fabrissam. Iam cum Fabrissa ad te referat, et te autorem alleget, forte uerbis tuis e concione raptis, iustum est, ut te purges, et illam suspicione liberes, ne tua autoritate diutius prematur. Et hoc agas, ut istas mulierculas, ut aegrotorum animorum sanare et conciliare

*) Wolfii Consp. supellect. epist. p. 52.

ſtudeas. Hoc et officium tuum exigit, et charitatis debitum poſtulat. Quare non graueris, ſaucias iſtas oues Chriſti ſanguine ſuo redemtas curare et fouere. Hoc placebit Deo, ut gratiſſimum ſacrificium, et diabolo deſtruxeris inſidias et opera. Bene in Chriſto uale, et aſſume orationem pro ipſis in auxilium, ſi forte ſathan fuerit peruicacior. Amen. fer. 2. poſt Martini (12. Nou.) 1537. *)

CLXIII.

Martino Bucero.

G. et P. in C. Reſpondi tandem, mi Bucere, Heluetiorum litteris, quas Schmalkaldi reddidiſti. Excuſabis moram meam, ut qui ſcias mihi cadaueri praeter morbos et ſenectutem per ſe pigro et frigido impoſitas eſſe curas eccleſiae noſtrae, et cauſas multas cum moleſtiſſimas tum odibiles, ut non dicam odioſas. Exemplar autem mitto ad te, ut clauum habeas iſtius nauis gubernandae. Nam in te rurſus reieci omnia et in Capitonem, cum non eſſet alia ratio tam amice et ſuauiter ſcribendi, dum uos ipſi duo mihi argumentum difficile feciſtis, ſignificantes quam ſint iſthic adhuc aliquot concordiae iniqui, in quorum manus uel notitiam

*) Schlegelii uita Jo. Langeri p. 159.

has meas uenturas esse suspicandum omnino fuit, sed tu omnia facies pro dono Dei tibi dato. Ego certe simpliciter et candide scripsi.

Latinam Heluetiorum confessionem paulo minus probo, quam germanicam ciuitatum, praesertim in sacramento altaris. Caetera satis placent pro hoc tempore. Saluta mihi reuerendum D. D. Capitonem et omnes uestros. Non possum singulis respondere.

Pomeranus adhuc est in Dania, et prosperat omnia, quae facit, Dominus per eum. Regem coronauit et Reginam, quasi uerus Episcopus. Schola instituit. Vale in Domino. Ipso die S. Nicolai (6. Decemb.) 1537. *)

CLXIV.

Nicolao Hausmanno.

G. et P. in C. Non uacabat pluribus, optime et charissime Nicolae, nunc scribere. Quare et te oro, ut primum pro me agas gratias Illustr. Principibus pro Esoce donato, deinde et meo nomine gratuleris replicando Principi D. Johanni cum sua Principissa. Christus confirmet opus suum, quod incoepit in eis, et perficiat, Amen. Cui et sit

*) Bibl. Bremens. Class. IV. p. 917.

gratia, quod nostras in hac causa preces tam clementer exaudierit, quo exemplo docetur, esse orandum nec cessandum. Veniens enim ueniet et saluat nos, et sicut dixi, modo sum praeoccupatus nonnulla uexatione Satanae, ut praeterea non liceat scribere. Alias plurima, si Christus dederit. Tu et pro me ora Dominum diligenter, ut possim, quod bonum est in oculis eius.

Edentur ista portenta Romanensium Cardinalium tum latine, tum germanice, et superat rei malitia et hominum istorum nequitia omnem indignationem et eloquentiam. Christus ueniet ipse iudex, huic reseruari oportet uindictam dignam in istos illusores Dei et hominum. Tu pro me, ut oraui, ora, quia confido, tuas preces multum ualere apud Deum. Salutat te reuerenter mea Ketha et M. Petrum in Christo. In Domino ualere cupio. Sabbatho post Petri cathedral. i. e. per Papam pro tyrannide stabilienda sic uulgatam (d. 24. Febr.) 1538. *)

Mitto arma Papae a me picta seu pingi curata cum suis Cardinalibus.

Exemplar emendatae Ecclesiae mitto. Nam antea habui iam etiam teutonicum factum.

---

*) Extat germ. T. XXI. Opp. Luth. Walch. p. 1457.

CLXV.

Nicolao Hausmanno.

G. et P. in Christo. Mitto libellum contra Sabatharios et Cardinalium de reformanda Ecclesia consilium. Caetera puto te omnia habere, quae antea excusa sunt, ut suspensus Papa iuxta Judam etc.

D. Jonas meus est uicarius in profectione Brunsuicensi. Ipse non potui, metui ualetudinem. Noua praeterea nulla habeo, nisi quae tu iam dudum habes, et quod nulla pax est inter Caesarem et Gallum, et Veneti sunt in angustia propter Turcam, qui classem eorum occlusit et ociosam esse cogit. Nisi Caesar et Principes Italiae opem tulerint, rursus cogentur foedus cum Turca inire. Deus nobis remittat peccata nostra et misereatur nostri, adducatque illum diem redemtionis, Amen. Vale in Christo et ora pro me Dominum. Saluta M. Petrum. f. 4. post Oculi (d. 27. Martii) 1538. *)

CLXVI.

Sebastiano Hellero, Cancellario Anspacensi.

G. et P. in C. Rogo, clarissime Doctor, si quae praemanassent ad Illustriss. Principem tuum, uel aliquem in aula, quod contemsissem donum il-

*) Extat germ. T. XXI. Opp. Luth. Walch. p. 1456.

lud munificum Francici uini, fateor culpam meam, et conſcius mihi ſum; effudiſſe me uerba, cum ueniſſet hoc donum, mihi uile uideri eo quod Francicum uinum eſſet, cuius apud nos tanta eſt infamia propter uel uenditorum, uel uectorum nequitias, per quos nullum fere ad nos incorruptum aut ſalubre aduehitur. Denique nullam guttam Francici uini mihi optaſſem donari, certus quod eo potu non eſſem uſurus. Si igitur tale aliquid de me forte narrabunt, qui narrant talia, ſed ego multo maximus narrator ſatis craſſe narrus fui, qui ignorabam, uos Francos eſſe tam bono uino beatos, ſi tamen in aliis Franciae partibus tale uinum habetur. Nam ſimulatque guſtaſſem et aliquot diebus tentaſſem, cecini palinodiam et adhuc cano. Neque enim unquam bibi uinum meo corpori conuenientius aut ſalubrius, quam illud turbidum hornum, quod maxime ſuſpectum habebam. Omnia uina interim prae illo contemſi et eo uno me recreaui. Haec ſcribo, ut meam ingratitudinem quam his literis condemno et deteſtor, benigniter excuſes, quod te magnopere rogo. De caetero inuiſis uino Francico non per omnia credam, niſi expertus primum ſciero, quale ſit, quod bibendum proponitur. Vale in Domino, et ſaluta omnes ueſtros, maxime uero me commendes Illuſtriſſimo Principi tuo, et gratias Celſitudini ſuae meo no-

minè agas, postquam meam ingratitudinem excusaris. Witteb. 12. Maii, 1538.

CLXVII.

Henrico Bullingero.

G. et P. in C. Redditae sunt mihi litterae tuae, mi Bullingere, una cum libro tuo de authoritate scripturae et functione Episcoporum. Librum sane nondum perlegi, aliis et multis occupatus; nec tamen uolui ultra has Lipsienses nundinas differre responsum, etiamsi quod petis iudicium meum de libro tuo in tanta penuria temporis significare non possim. Nosti uero alias nobis non displicere stilum et argumentum rerum in quibus uersamini, sed sensu et affectu sumus dissimiles. Libere enim dicam, Zuinglius, postquam Marpurgi uisus et auditus mihi est, uirum optimum esse iudicaui, sicut et Oecolampadium, ita ut eorum casus me pene exanimauerit, nulla maiore causa, quam quod credere cogebar, alienum esse, seu potius permansisse a sententia nostra, quam nos arbitramur ueram esse non minus, quam uos uestram. Et id quoque dolebat, quod sub nomine tuo postea edidisti Zuinglii librum ad Regem Christianum scriptum mira laude celebrans, cum in eo libro esse nosses quam plurima, quae non modo nos, sed omnes pios of-

fendunt optimo iure: non quod inuideam honori Zuinglii, de cuius morte tecum dolorem concepi, sed quod doctrinae gratia nullius hominis uilipendi debeat. Haec scribo, ut uideas, me candore uero sine omni simultate tecum agere. Vos fortasse creditis nos errare, id commendo Dei iudicio: certe nos etiam non possumus uestra omnia probare, uisi conscientiam mallemus onerare, quod non exigetis a nobis, ut non dubito. Sed nihil posset mihi ante obitum meum laetius contingere, quam si daretur tandem per gratiam Dei Spiritus ille, qui cor et animam meum in Domino recrearet, ut unum saperemus, et diceremus in Christo ad gloriam Dei Patris et salutem animarum. Haec interim boni consule, donec, si Deus uelit, librum tuum legero. Bene uale. Wittenb. 14. Maii, 1538. *)

CLXVIII.

Bernhardo a Doelen.

G. et P. in Domino. Proximis tuis literis et tentationibus, mi Bernharde, non potui respondere. Abiit enim tabellarius, dum ego cogerer docere. Et nunc quid consolationis scribam, nisi ut si meum consilium audis, huc ad me migres quam-

*) Hottingeri H. E. Tom. VI. p. 730.

primum, nam fortaſſe mea tentatio uehementior eſt, quam quae breuibus ſcriptis mitigari poſſit, et Deo dante uiua uoce et conuerſatione melius poterit curari. Adde, quod ignorem, cuius generis, cuius cauſae ſit tua iſta perturbatio, an ex conſcientia, uel fidei infirmitate, et ideo in ſpeciali nihil poſſum ſcribere, niſi quod interim, dum ad me ueneris, credas, non ſolum eſſe te, qui tela patitur, deinde Chriſtum ipſum per omnia tentatum, ut hanc tuam haud dubie ſenſerit tentationem, alioqui non eſſet per omnia tentatus. Eſt autem per omnia tentatus, ut ſciamus et fidamus, omnes tentationes nobis per ipſum eſſe uictas, ſicuti dicit: confidite, ego uici mundum. Ipſe Deus, uictor triſtitiae, mortis et inferni, conſoletur et conſeruet cor tuum Spiritu ſuo ſancto, Amen. Ora pro me quoque tentato, ſicut ego pro te tentato. Feria 2. poſt uocem iucund. (d. 27.Maii) 1538. *)

CLXIX.

Bernhardo a Dolen.

S. et P. in C.. Mi Bernharde, non reſiſtam quidem tuae uoluntati, ſi uelis ſecundo naufragium coniugii tentare, ſed ſunt apud me quam plurimae

*) VN. 1722. p. 538.

rationes, quae mihi uidentur te merito mouere debere, ne tu praesertim secundo duceres. Nosti tuam imbecillitatem, deinde non eris tam gratus hominibus post istas secundas nuptias propter pessimos homines de nobis male sentientes in ista regione. Et pii qui sunt, satis alias habent oneris, quod ferant, ut non necesse sit, tua et simili causa grauari. Sed me hoc mouet, quod periculum sit, ne talem inuenias, qualem amisisti, et noui illam tuam lenitatem in gubernanda oeconomia, quae est hoc saeculo multum molestissima. Ita ut si ego essem iuuenis tamen expertus malitiam mundi, etiamsi mihi regina offerretur post meam Ketham, malim mori quam denuo fieri maritus. Quare si me audies, abstinebis, ne te et nos graues amplius. Vale in Christo. ultima Augusti, 1538. *)

CLXX.

Jacobo Probst.

G. et P. in Christo. Rarius ad te scribo, mi Jacobe, neque literis tuis respondeo, ut forte uelles, sed spero, te facere hoc ipsum aequi et boni, sciens meam uariam conditionem negotiorum, laborum, aetatis, et tentationum. Deinde quod cogi-

*) Extat germ. T. XXI. Opp. Luth. Walch. p. 1460.

tem, nihil esse opus tibi literis meis, abunde alias a Deo donatus, ut ipse possis gubernare et consolari tum te tum omnes in hoc saeculo pessimo tanta ingratitudine et contemtu uerbi salutaris obruto. Sed de his satis. Caeterum duo ex inferiore Germania fratres optimi et docti ad nos uenerunt. Sed nos undique pauperibus obruimur ipsi pauperes satis, tamen statueramus ambos alere pro facultate. Verum cum propter linguam hic utiles esse non possint, uisum est Domino Philippo, ut alterum ad uos mitteremus, si forte, ut putat, apud uos uacet locus ministerii, ne ociosi esse cogantur, simul quod uos diuites estis, et altitudo diuitiarum uestrarum facile potest abundare in simplicitatem paupertatis istorum. Quod si sic praeualuit apud uos ingratitudo hominum, ut non possitis eum sustentare, donec prouideatur ministerio, remitte eum ad nos, diuidemus, quod habemus. Noua, ego senex exhaustus fessus tot laboribus semper et in dies iuuenesco, id est mihi insurgunt semper nouae sectae, quibus opus est resistendis iuuentus noua. De Antinomis intelliges ex his propositionibus, si nullum esset argumentum, nos esse uocatos et electos ad regnum Dei, hoc unum satis esset, quod impetimur tot sectis semper de nouo uariantibus, item ex nobis aliquot uenientibus, ut taceam Papistas

et

et priuata ſatanae bella, item contemtum uerbi in noſtris, ſed non ſumus meliores Apoſtolis et Prophetis neque ipſo Domino noſtro. Scribitur conſtanter, Caeſarem, Gallum, Venetos coniunxiſſe claſſes ſuas contra Turcas, et eſſe felicia principia in mari contra tantum hoſtem. Deus benedicat et fortunet preces Chriſtianorum. Concilium translatum Vincentiam prorſus exſpirauit. Et Papa Romae delitiatur et per fas et ne fas ſtudet ditare et exaltare ſuos fortiter occiſis uel ueneno extinctis, quorum opes filii ſui concupiſcunt, incomparabiliter peior eſt Roma, quam ut Deus eam dignari poſſit ulla permiſſione reformationis, peruenit ſuper eam ira Dei usque in finem.

Salutat te Domina mea Ketha et tua patrimula, mea filia Margarethula, cui tu poſt mortem meam prouidebis de aliquo probo ſponſo. De me nihil ſcribo, niſi ut ores pro me, ut Dominus liberet me a colaphis et ſtimulis angeli ſatanae, detque mihi horam bonam pro ſua uoluntate, dum ſoluendum mihi fuerit ex iſta miſeria. Dominus tecum, et ſalutabis tuam Dominam ex me et mea Ketha. Dominica poſt crucis exaltationem (d. 15. Sept.) 1538. *)

---

*) Dauid. Meyeri Hiſt. Ref. Hannover. p. 103.

CLXXI.

Nicolao Amsdorf.

G. et P. in Christo. Et ego certe, mi Amsdorfi, uehementer sum admiratus, quid acciderit uel tibi uel uestris, ut nihil ad nos scriberetis. Et ego non potui, postquam audiui pestem apud uos grassare, habere, per quos scriberem. Semel accepi literas tuas in libro Antischeniciano vom Stadthalter; sed tunc de peste mihi nulla erat notitia. Quod scribis, homines ita pauere hoc tempore pestem, ego quoque tempore pestis nostrae ante istos annos expertus sum. Et miror, quod quo copiosior est uitae in Christo praedicatio, hoc maior est in populo pauor mortis, siue quod antea dum sub Papa falsa spe uitae mortem minus timebant. Nunc uero uera spe uitae proposita sentiunt, quam infirma sit natura ad credendum uictori mortis, siue quod Deus nos tentat infirmitate, et sinit in timore ita Satanam plus audere et ualere. Nam dum in fide Papae uiximus, eramus sicut ebrii, somnolenti, seu furiosi, potius etiam ueram mortem pro uita ducentes, scil. ignari quid esset mors et ira Dei. Nunc ueritate lucente iram Dei clarius cognoscentes sentit natura excitata a somno et furore suas uires nihil esse ad mortem ferendam. Ita fit, ut paueant plus quam antea. Sicut dum in Papa-

tu fuimus, peccatum non ſolum non ſenſimus, ſed inducias eſſe ſecuri praeſumebamus. Nunc ſecuritate per cognitionem peccati ſublata timemus plus, quam oportet. Illic ad dextram ibamus ſecuri, ubi oportebat timidiores eſſe, nunc ad ſiniſtram nimis timidi, ubi ſecuros eſſe oportuit. Ego igitur in hoc caſu conſolor me, quod Chriſtus uult ſuam uirtutem in infirmitate perfici. Nam dum eſſemus fortes, iuſti, ſapientes in Papatu, Chriſti uirtus non modo non perficiebatur, ſed etiam exſtincta iacebat et ignorabatur. Huc addo illud Pſalmi 76 et ita applico: ne proiicias me in tempore ſenectutis, cum defecerit uirtus mea, ne derelinquas me. Cogito enim hoc nouiſſimum tempus eſſe, ſenectam Chriſti et tempus deficientium uirium, h. e. ſummum et extremum diaboli impetum, ſicut Dauid extremo tempore defectu uirium pene fuiſſet à gigante occiſus, ſi Abiſai non occurriſſet. Spero tamen, te experiri, quod hi, qui moriuntur, ſane pie et in fide Chriſti obdormiunt, ſicut etiam hic experiebamur. Atque hoc eſt, quod dixit: ne derelinquas me, et Chriſtus: in infirmitate perficietur uirtus mea. Viuentes ſane pauent et infirmi ſunt, ſed morituri mox mutantur in alios homines et fortiter in Domino moriuntur. Iam quod poteſt eſſe iudicium iuſtius et melius quam ut uiui pa-

uescant, morituri roborentur in Christo, h. e. ut uicturi sese sentiant morituros, et morituri sese uicturos. Spero, inquam, non multos apud uos mori in incredulitate aut desperatione, sed uel omnes uel plurimos in confessione Christi et testimonio accepti Sacramenti obire, imo abire se in uitam per mortem. Sic enim fieri hic uidebamus a paruulo usque ad maximum, et ego sane hoc fere toto anno dedici cum Paulo canere: quasi mortui et ecce uiuimus. Et idem: per gloriam uestram quotidie morior. Certe non credo Paulum fuisse lignum aut lapidem, qui non senserit pauorem et uim mortis. Neque de aliorum mortibus loquitur, sed de suis mortibus, ut dicit ad Corinthios: in mortibus frequenter. Non fuit autem ei speculatio aut meditatio de morte, sed sensus et ipsa uis mortis, quasi nulla esset spes uitae, alioqui quid est mors speculatiue quam mortis ignorantia et insensibilitas. Sed hoc ad te tam prolixe quid opus erat? Verum non pro te, nec de te, sed pro tuis et nostris ita soleo cogitare. Et quia id querularis de tuis, nolui te celare has meas cogitationes in hoc casu. Caeterum pro te ego non modo sollicitus sum, sed ualde oro, ne te Dominus auferat. Vides enim, quantis premor oneribus, iam senex et exhaustus uiribus. Quanto enim melius esset uobis post me relictis in ista ecclesia ministerio eri-

pi, quam uobis ſublatis me relinqui tam ſolitarium et miſerrimo miſeriorem, ut qui amplius nihil poſſum prae defectu uirium et aetatis, et uideo, me tamen debere facere multa, quae non ualeo. Deus gubernet et conſeruet te diu, et tu pro me Dominum ora, ut me conſeruet usque in regnum ſuum uobiscum, Amen. Die Catharinae (25. Nouemb.) 1538. *)

CLXXII.

M. Johanni Lubigk, miniſtro uerbi in Cotbus.

G. et P. in C. Rogauit me optimus pereque nobilis Dominus Caſpar a Kokritz, mi Johannes, ut tibi ſcriberem iudicium meum in caſu, quo Caeſar uellet ui ac tyrannide contra noſtros Principes bellum mouere propter euangelium, an noſtris liceret reſiſtere et defendere. Ego ſane antea de eadem re meam ſententiam ſcripſi uiuenti Duci Johanni. Nunc quaeritur de hac cauſa, cum iam inter ipſos definitum ſit, uelle ſe ac iure poſſe reſiſtere ac defendere. Et ad meum denuo dicere nihil ſequitur, quid ergo fruſtra me et te fatigem? Ego ſane pro mea perſona ſpero Chriſtum curaturum, ne ſit opus iſto conſilio, nec permittet Cae-

*) Extat germ. T. XXI. Opp. Luth. Walch. p. 1461.

ſarem tam furioſum bellum mouere. Hac cogitatione me ſolor. Sic enim hactenus ipſe oſtendit ſuam potentiam et tamen cur impugnem noſtrorum uoluntatem et conſilium habeo cauſas grauiſſimas. Quarum una eſt, quod Caeſar non ſit, nec eſſe poſſit perſona illa quae hoc bellum moueret aut mouere poſſet, ſed Papae et Epiſcopi, qui Caeſare ueluti milite uti uolunt pro ſuis horrendis tyrannidibus et diabolicis flagitiis contra agnitam ueritatem. Nihil enim habet Caeſar contra Principes cauſae, ut Caeſar, ſed Papa uult habere non cauſas pro cauſis et ita Caeſarem inuoluere periculo bello. Si igitur licet contra Turcam bellare ſeu ſe defendere, multo magis contra Papam, qui prior eſt. Et ſi Caeſar ſeſe miſcuerit inter Papae uel Turcae militiam, expectet ſortem tali militia dignam. Ideo noſtri iudicarunt Caeſarem in hoc caſu non Caeſarem eſſe ſed militem et latronem Papae. Hic enim eſt Imperator et Caeſar in hoc bello. Sic noſtri ſentiunt. Ego uero de Caeſare non milite Papae antea conſului, et monuerunt me exempla tum Papae tum Cardinalis Halenſis, qui ſicut Julianus Apoſtata dehortatur Chriſtianos ſub euangelio obſtrictos cogi ad ferendas ſuas libidines et furias in infinitum, dum interim ſub nomine Chriſti ita furit, quem tamen horribili blasphemia irridet, aut igitur deponat Papa, Cardinales, Epiſ-

copi, Caesar nomen Christi, et fateantur, se id esse, quod sunt mancipia Satanae, tum suadebo (ut prius) ut gentilibus tyrannis cedamus, aut si sub nomine Christi contra Christianos ipsi et Antichristiani scienter iecerint lapidem sursum, qui recidat in caput ipsorum, ferant poenam secundi praecepti. Quanquam nec ista sola sunt, quae me mouent, nec omnia uolo prodere, ne qua permanet ad illos pessimos Satanae seruòs, quos expedit Cainica poena esse insignitos scil. metu et pauore, sicut oportet homicidas, blasphemos et sacrilegos. Nec opus est te omnia in hac re scire. Tantum ne fortifices manus improborum contra nostros Principes, sed date locum irae et iudicio Dei, quod hactenus furendo, ridendo, laetando quaesierunt. Interim exemplis istis eos terreas, quod Machabaei noluerunt sequi eos, qui se contra Antiochum uoluerunt defendere, sed in simplicitate cordis patiebantur sese occidi. Deus autem Machabaeorum consilium probauit et juuit et cum Saul etiam uellet filium Jonathan occidere, restitit ei populus per uim. Et cum Rex Jojakim uellet Jeremiam occidere, restiterunt Principes Ahoka et alii. Iam Principes Germaniae plus iuris habent contra Caesarem, quam populus ille contra Saulem uel Ahokam contra Jojakim, ut qui communi consilio gubernent imperium cum Caesare, et Caesar non sit Monar-

cha nec possit deiectis Electoribus mutare formam imperii, nec esset ferendum, si tentaret. Etsi hoc propter ciuilia non fieri potest nec decet, quid si id tentet propter peregrinas et diaboli causas? Quodsi ipse nescit tales esse causas, satis est nos certos esse, nec Antiochus sciebat, se Satanae causas agere. At Machabaei certi erant. Haec tibi satis sint. Caetera relinque magisterio Spiritus et doce, Caesari esse donandum, quae Caesaris sunt. Caeterum secretum meum mihi. Bene uale in Domino. Sabbatho post Dorotheae (d. 9. Febr.) 1539. *)

CLXXIII.

Francisco de Rheva, Comiti Thurocensi.

G. et P. in D. Etsi literas tuas, Vir clarissime, inter multas occupationes te scripsisse uiderem, ipse quoque miratus tamen sum, quomodo tanta argumentorum copia tibi ex Cinglio inhaeserit in re sacramentaria, et ualde doleo, te istis argumentis ita moueri: sed cum ipse quoque sim occupatior modo, quam ut mihi prolixius scribere liceat, interim per Christum et salutem tuam te oro, ne corruas in hunc errorem, quod solum panem et uinum in Sacramento, et non corpus et san-

*) Extat germ. T. XXI. Opp. Luth. Walch. p. 652.

guinem Christi esse credas. Nam argumenta tua sunt Cinglii, contra quem nos multa scripsimus, sed uernacula lingua, et multos Dei gratia conuertimus. Quid enim absurdi est credere: Corpus Christi simul in coelo et in Sacramento esse? An omnipotenti Deo difficile est, quod nobis incredibile uidetur? Joh. III. dicitur: nemo ascendit in coelum etc. Si tunc fuit in coelo, cum in terris ambularet, quomodo non simul erit in diuersis locis? Cui ista sunt incredibilia, quomodo is credet, Deum esse hominem? quomodo sit in utero uirginis simul uerus Deus essentialiter? quomodo una persona simplicissimae diuinitatis incarnetur, exclusis reliquis? Mysteria fidei uerbo sunt tradita et accepta, non ratione comprehensa aut iudicata. Valde, imo totum ratio est, quae dictat: idem corpus non posse in diuersis locis esse. Sed ratio est coeca, et quod ei est impossibile, Deo est facillimum. Mihi non est idem corpus in coelo et in terra, sed quid ego sum? Mihi non est corpus magnum in parua particula panis. Sed quis ego? Deo non est impossibile omne uerbum. Non qui comprehenderit, sed qui crediderit, saluus erit. Et iterum, si non crediderit, dicit Esaias cap. VII. non intelligetis nec permanebitis. Miserrimus sit ille Deus, qui non dicit aut facit, quod nobis incredibile est, sic enim nullum habebimus articulum

fidei, si iudicio rationis nostrae aestimandus fuerit? Sed occupatus cogor hic sistere, iterum atque iterum rogans, ut in ueteri Ecclesiae fide perstes, donec cum tempore argumenta tua copiosius soluero. Verba Dei: Hoc est corpus meum etc. te non fallent. Tua ratio et hominum sapientia mendax est et fallit. Dominus te seruet et dirigat Spiritu S. suo, Amen. Datae Witteb. 7. Aug. 1539. *)

CLXXIV.

Antonio Lauterbachio, Pastori Pirnensi.

G. et P. Quod quaeris, mi Antoni, de communicandis infirmis, putabam te ex nostrae Ecclesiae ritu satis esse instructum, in qua tamdiu uersatus es. Ego tamen cogito, et uellem communionem priuatam simpliciter sublatam ubique, scilicet ut populus doceretur in concione, ut in anno ter uel quater communicarent, et postea confirmati uerbo, quacunque occasione moriendum esset, obdormirent. Nam erit, ista priuata communio tandem intolerabile et impossibile opus, praesertim in peste. Nec iustum et ita facere Ecclesiam seruilem cum Sacramentis, praesertim apud istos, qui tanto tempore contemnunt, et postea uolunt in omnem euen-

*) VN. 1716. p. 570.

tum ſibi paratam Eccleſiam ſeruam, cui nihil ipſi ſeruiunt unquam. Sed quia haec nondum ſunt ordinata, facies, ut poteris, interim communices infirmos ſolos, niſi libuerit communicare, ut hic feciſti, proteſtatus tamen hoc, te facere ad tempus, nec eſſe hoc perpetuo futurum apud eos, quia omnino ordinandum erit aliquid in hac re. Datae Wittenb. feria 4. poſt Catharin. (28. Nou.) 1539. *)

CLXXV.

Antonio Lauterbachio.

Satis uideo, mi Antoni, in aula Dresdenſi mirum eſſe faſtidium conſulendi rebus Dei et hominum, ita regnare uidetur ſuperbia et auaritia. Princeps ſenex nihil poteſt. Juniores nondum audent, nec ipſi poſſent, ſi etiam auderent. Deus ipſe gubernet Eccleſias ſuas per ſeſe, donec inueniat media organa, per quae nobis apparenter gubernet, Amen.

Hic nihil nouorum, niſi liber Milenchii (ſ. Mezentii) in noſtros Principes furioſus. Turcam dicunt incredibili apparatu aduenire. Sed interim ludimus et bibimus fortiter. Caeſar, Gallus, Ferdinandus uoluptuantur in Flandria. Orandus eſt

*) VN. 1722. p. 187.

Dominus pro isto die illustrationis suae, ut quam citissimé ueniat. Veni Domine Jesu, Amen.

Ketha mea ex uera morte miraculose ualde resurrexit, et iam reptat manibus, discens ambulare, Dei manifestum signum est. Ipsa te reuerenter salutat cum tua Agnete et Elisabetha. Vale et ora pro nobis quoque, sicut et nos facimus. f. 4. post Oculi, (d. 3. Mart.) 1540. *)

CLXXVI.

Hieronymo Wellero.

G. et P. Quod petis, mi Hieronyme, facio et scribo ita senatui uestro. Sed quod de pastore scribis, dolenter legi. Tamen ora te, ut quantum potes, de ipso loquaris et scribas omnia optima, mala, quae audis, excuses, ad breue modo tempus. Nam tu nescis, quam agantur omnia in aula Dresdensi mirabiliter, cuius morositate ita sum offensus, ut scripserim literas ad potiorem quendam in illa non satis modestas, denique ut negarim, me quicquam amplius facturum, dicturum, scripturum pro ulla causa. Certe non est uisitatorum culpa, si quid minus recte fit, quantum ego uideo, sed sapientum istius sectae, qui sibi non decem

*) Schelhorn. Ergötzl. T. I. p. 304.

Salomones, ſed centum Deos in capite ſuo habere putant. Quod genus hominum tu noſti, quam profundo odio odiſſe ſoleo, nec tu eos amare potes, id ſcio. Quare ſi quid peccant uiſitatores miſeri, rogo differas cum tuis indicare, donec ueniat dies inſpectionis, qui breui ueniet. Vale in Domino, et ſaluta Dominos Senatores et omnes noſtros. Gratulamur ego et Ketha mea ex mortuis reuerſa tibi nouo patri et uxori nouae matri. Deus ſeruet et augeat benedictionem hanc, Amen. f. 3. poſt Judica (16. Mart.) 1540. *)

CLXXVII.

Caſparo Guttelio.

Accepi tuas literas, mi Dom. Caſpar, una cum detrectationibus M. Eislebii. Sed quid aliud poſſum, quam ut ſinam ire indicium Dei ſuper eum, qui miſericordiam contemſit. Lutherum non fert amicum, feret inimicum, etiamſi inuitus id facio. Ich halt das Naerrlein ſey unſinnig worden. Te autem rogo, ut teſtimonia iterum colligas de eius doctrina. Quod olim dum ad me mitteres, non credidi, et ita amiſi. Non quod ad cauſam mihi opus ſit illis, habeo enim oris et manus eius teſti-

*) Schelhorn Ergötzl. T. I. p. 625.

monia ſatis ualida, ſed quod hoc os impudens et mendax dignum eſt multis teſtimoniis etiam aliorum contundi. Vale et ora pro me. Feria 3. poſt Miſer. dom. (13. April.) 1540. *)

CLXXVIII.

Antonio Lauterbach.

G. et P. Publicum illum peccatorem confitentem ac poenitentem ac in futurum proponentem meliora coram altari publice poteris abſoluere, mi Antoni, poſtquam eſt a magiſtratu abſolutus.

Ad nuptias fratris tui non licet uenire, agitur iam cauſa Meiſter Grickel. Ketha mea gratias agit. Vale in Domino cum tuis. Curſim. Vigilia trinitatis, 1540. **)

CLXXIX.

Antonio Lauterbach.

G. et P. Rogo, mi Antoni in Chriſto chariſſime, ut hunc Georgium Schammer commendatum habeas, ſi qua poteris eum conditione prouidere aliquanta, ſicut et te et D. Cellarium et hic rogauimus, ſaltim Meiſter Lucas uos ambos. Quare

---

*) Litt. Wochenblat. P. II. p. 314.

**) Extat germ. T. XXI. Opp. Luth. Walch. p. 1470.

uel unus uestrum, uel ambo simul consulite homini, quantum potestis, ut sentiat me pro eo non segniter rogasse id, quod toties a me petiit.

Nihil nouarum, nisi quod tu credis, et ego credo, aulam uestram Dresdensem esse aulam non Dei sed caulam mundanam, nisi forte tu interim aliud sis expertus. Meus Ketha salutat te et tuum Agnum et Agnetam. Vale in Domino. f. 3. Pentec. (18. Maii) 1540. *) Saluta D. Cellarium meo nomine reuerenter.

CLXXX.

Antonio Lauterbach.

G. et P. De nouis nuptiis Landgrauii, quod petis, nihil possum scribere, mi Antoni. Hoc quidem audiui esse natum puerulum ex uirginalibus de-- Sala, an sit uerum, nescio. Et si uerum esset et ipse agnosceret se esse patrem et prolem et matrem aleret, iure uideretur facere. Si hinc natus est rumor, non est sine causa rumor. Tantum scio et publica testimonia nuptiarum nondum sunt mihi ostensa. Deinde adsunt haeredes ex legitima uxore, qui non finerent (nec proceres) ex alia uxore cohaeredes fieri praesertim ex inferiore sanguine. Sine

*) Extat germ. T. XXI. Opp. Luth. Walch. p. 1469.

igitur latrare, qui latrant, donec res ipsa doceat, quid hoc monstri sit. De Principibus et Principum negotiis non est temere pronunciandum re incomperta de aliis perordinandum etc. Vale altera Junii 1540. *)

CLXXXI.

Antonio Lauterbach.

G. et P. Commendari, mi Antoni, tibi petiuit hic Geórgius Schammer, quem parochia prouidisti. Habet autem uxorem pessimo ingenio et maligno, quae si hic resistet, nec sequetur uirum, ut minata est, albim illi curabimus balneatorem, uel exilio decorabimus. Quare si sequetur uel comitabitur uirum, tu pro officio et autoritate tua illam acerrime tractes et uiro suffragaberis. Quodsi impatiens discesserit, discedat, ut ipse liberetur a uomica illa. Summa, tu curabis, ne illa scandalo sit euangelio, et uirum ineptum reddat ministerio.

Nihil hic, nisi hoc monstrum Landgrauii, quod aliqui incipiunt mollire, alii negare, alii aliud agere. Culpae maximam partem imponunt Rochlicensi Principissae, sorori Landgrauii. Quicquid sit, dies declarabit propediem. Vale et ora pro nobis,

---

*) Schütz P. III. p. 134.

bis, et ecclesiam tuam iubeas orare pro causa euangelii, quae agitur Hagenoae et pro M. Philippo, qui isthuc missus est in medium inimicorum, quos libellus nouissimus de Ecclesia et officio Principum uehementer offendit, ut angelis suis mandet de ipso Deus pater Domini nostri, qui eum custodiant in omnibus uiis suis, Amen. Satis tristis abiit et contrito animo, Deus seruet et soletur eum. Salutat te Domina mea. Biblia pro M. Latomo sunt parata, sed non habeo, qui deferat. Vale. f. 5. Barnabae i. e. ipsius Viti die (15. Junii) 1540. *)

CLXXXII.

Antonio Lauterbachio.

G. et P. Libens adero, mi Antoni, nuptiis fraternis, sed spiritu et oratione. Nam corpore ne ueniam, facit non solum negotiorum multitudo, sed quod sentiam, imo sciam, offensos esse Mammaluchos et reginam istius regni, mea forte nonnulla culpa. Et quem non offendit Lutheri insania? Cum tuis pertinacibus (de quibus scribis) unispecibus dominabus hoc consulo, ut patientiam habeas, et sinas furere Satanam ebrium, donec Deo placuerit. Scandalum tolerato, et interim reliquos

*) Extat germ. T. XXI. Opp. Luth. Walch. p. 1471.

hortator, ut facis, ad Christi institutionem, certus, quod maius tu scandalum diabolo praestes in suo regno, quam illae domicellae in regno Christi. Dabit Deus his quoque finem. Tantum ut contemnas et uites eos, et sinas te contemni et uitari. Tu publicus es minister, illi priuati et pauci, tandem uincentur. Vale cum tuis. Salutat te mea Dominus Ketha. f. 6. post Barthol. (d. 29. Aug.) 1540.*)

CLXXXIII.

Antonio Lauterbach.

G. et P. Aberat in regno suo nouo meus Dominus Ketha, dum redderentur tuae literae, ego gratias uice eius aga pro caseo sacculato. Sed tales fabros nihil curo contentus nostris caseis simplicis materiae et formae. Denique non est opus, ut multum solicitus sis, quomodo facias nobis bene. Satis est nos esse certos de uoluntate tua optima, qua possumus uti, ubi opus fuerit, sicut hactenus etiam plus quam satis ea sumus usi.

Ex Wormatia nihil adhuc accepimus, nisi quod tantus ibi confluxit numerus hominum doctorum ex Italia, Gallia, Hispania, Germania, ut Philippus ipse scribat, nec in Pontificia aliqua Synodo

*) VN. 1726. p. 898.

tantam futuram fuiſſe paraſceuen. Quid futurum ſit, Deus nouit. Si Caeſaris animus rectus eſt, ut opinantur, haud dubie iſte conuentus ſine nomine Concilii Concilium uere prouinciale erit ſc. nomine colloquii priuati, ne Pontifex offendi ſe querulari poſſit, ſine nomine concilii prouincialis, ibi conueniretur ſine eius autoritate. Habet ſane ibi Legatum Epiſcopum Veltrenſem, ſed quem noſtri non admittent neque iudicem neque arbitrum, neque praeſidentem, etiamſi ipſe Papa adeſſet. Haec enim habent in mandatis. Oremus, orate, orent omnes, uidetur enim hic fere paroxyſmus aliquis eximius. Vale et ſaluta tuam uitem et uuam, curſim et occupatus. Die Sabbati poſt Catharinae, (d. 27. Nou.) 1540. *)

CLXXXIV.

Jacobo Stratnero, Legato Chriſti in Marchia.

G. et P. in C. Venerabilis mi Jacobe, extorſit D. Cordatus mihi has ad te literas, et extorſit ille quidem, quantum in ſe fuit, id a me, qui alias ad te fuiſſem libentiſſime ſcriptarus, ſi ſciſſem uel

*) Extat germ. T. XXI. Opp. Luth. Walch. p. 1475.

opus esse tibi, uel gratum. Nam etsi tantum unico congressu mihi notus factus sis, tamen ita captus sum moribus tuis placidis et ingenio suaui, sed Christi spiritu feruenti et fideli, ut tui semper et amicissime fecerim memoriam, ubi ubi se dedisset occasio. Quin et hoc me maxime conciliauit, quod uideam, tantum fructus in euangelio per tuum cursum Christo regente promouisse! Ei gratias ago et oro, ut qui incepit opus gratiae et gloriae suae, perficiat usque in finem, in quo exultabimus laetitia illa, ut S. Petrus ait, inenarrabili et glorificata. Quare te hortor, ut pergas, fortiorque in dies fias per uirtutem Spiritus Christi, qui in te habitat.

Porro quod nonnihil te moueri intellexi de aduentu ad uos Meister Grikel Jslebiani, condoleo quidem tibi, sed rursus te hortor, ut satanam, etiamsi in hac parte fieret tibi molestus, animo christiano contemnas. Non est M. Grickel is uir, qualis cupit uideri, aut qualem esse credit Marchio, neque unquam erit. Nam si uelis scire, quidnam ipsa uanitas sit, nulla certiore imagine cognosces, quam Islebii. Hoc deprehendes gestu, uoce, cachinnis, denique omnibus animi et corporis motibus et moribus, ut scurram possit superare quemuis. Meum consilium fuit, ut a functione uerbi

in aeternum abſtineat, et iocularem aliquam profeſſionem ſuſcipiat. Ad docendum prorſus non ualet, ac ſi omnia reliqua eſſent tolerabilia, tamen gloriae furor eſt tantus in eo, ut nihil poſſit Deo in ſuo opere prodeſſe ſed plurimum nocere. Sed Marchionis nouitius affectus nondum eſt patiens admonitionis, erit autem, cum poeniteat eum huius affectus. Nos ſane laeti ſumus, quod exonerati ſumus hoc homine ſuperbo et fatuo, ſicut dolemus, uos oneratos eodem, ſed ſuſtinete parum, quem et nos ſuſtinuimus tam multum et tam diu. Quidquid erit, de me tibi perſuadeas, etiamſi M. Grickel uel a ſe ipſo, uel a ſuis in coelum euehatur, tamen tui comparatione non minus ſordebit in corde meo, quam diabolus in comparatione angeli. Veniam quidem petit peccatorum, et Marchio credit, eum ſerio petere, et nos donamus ueniam, etſi ſuſpicamur, imo certi ſumus, eum eſſe illuſorem. Sed ut ille Cato ait: non me Doctorem, ſed te deluſeris ipſum. Scribo tamen iſta, ut et de noſtro erga te corde nihil dubites, et illum eo patientius feras, nec propter ipſum deſeras officium, non diu ſtabit illius uanitas. Bene in Domino ualeas. Reu. D. D. Weinlaub nomine meo quam officioſiſſime ſaluta: nam audio eum ſerio, et non Grickelii ingenio Euangelium fouere, Dominus augeat et ſeruet eum in finem, Amen. Saluta

omnes nostros reuerenter. fer. 2. post Andreae, (d. 1. Dec.) 1540. *)

CLXXXV.

Jacobo Stratnero.

G. et P. in Christo, et non in mundo, in quo pressuram habituros nos esse ipse nostra pax dixit. Optime Jacobe, ex animo tecum affligor in tuis istis uexationibus, quas mihi M. Joh. Seyfried narrauit, et ipse in tuis literis uidi. Sed primum hoc tibi statuas certo: Meister Grickel uti coepit, sic fore sibi perpetuo similem. Toties mentitus est non hominibus, sed Spiritui S. ut iam tertio abiecerim spem de eo, cum antea toties passus sim me placari. Nunc ultimo sequor consilium Pauli: Haereticum hominem post unam et alteram admonitionem deuita, sciens quoniam subuersus est, et peccat αὐτοκατάκριτος. Idem tu facies, lass fahren, was nicht bleiben will. Cur nos illorum causa maceremur, aut solliciti simus, qui nolunt sibi consuli — Qualis est Princeps, talis est eius sacerdos. Grosse Narren muessen grosse Schellen haben --- conueniunt mores et ingenia, ut hactenus saepe sum expertus. Valeant, abeant in locum suum.

---

*) Riederers Nachrichten, P. I. p. 352.

Demas, inquit Paulus, me dereliquit, at Onesimus aliquis lucrifiet, et Matthias succedet Judae in apostolatu. Vltimo id restat, si tu uideris, in ecclesia Berlinensi te esse alicuius usus, et fructus in euangelio, obsecro feras istos Judas et Demassas, ut ita loquar, propter paucos in tanta turba saluandos, propter quos solos ubique terrarum euangelium sonat. Quod si populus quoque est sicut sacerdos, quid aliud facies, quam quod euangelium docet: excutite puluerem de pedibus uestris et exite de ciuitate uestra. In hac re tu tibi, qui coram omnia uides, eris optimus consul et iudex, alioqui nostras potes cogitationes facile nosse, scilicet quod infirmis et idiotis nos oportet seruire etiam in medio nationis prauae atque peruersae, in gloriam et ignominiam, inter honorem et contemtum, inter blasphemiam et laudem. Intelligis, quae dico, et Dominus dabit tibi intellectum, in quo uale quam optime. fer. 3. post Epiphan. (d. 8. Jan.) 1541. *)

CLXXXVI.

Friderico Myconio.

Gratia et pax. Accepi literas tuas, mi Friderice, quibus significas, te mortaliter, seu ut tu re-

*) Riederer. Nachrichten, P. I. p. 353.

ête et ſancte interpretaris, uitaliter aegrotare. Etſi mihi gaudio fuit ſingulari, te eſſe adeo imperterritum contra mortem, ſeu ſomnum iſtum communem omnibus piis, deinde et cupidum ſolui et eſſe cum Chriſto, quo affectu eſſe debemus non ſolum in lecto aegritudine, ſed et ipſo uitae praeſtantiſſimo uigore, omnibus horis, locis, caſibus, ſicut decet Chriſtianum. Etſi, inquam, mihi iſta in te fuerint gaudio ſingulari, tamen ego oro et peto Dominum Jeſum, uitam, ſalutem et ſanitatem noſtram, ne hoc mihi addi etiam ſinat malum, ut me ſuperſtite uideam te aut aliquot noſtrorum perrumpere per uelum ad quietem, et me ſinatis foras relictum inter daemonas etiam poſt uos ulterius uexari, qui ſatis uexatus tot annis digniſſimus et meritiſſimus eſſem uos praecedere. Ita in loco tuo me faciat Deus aegrotum et iubeat deponere tabernaculum meum hoc inutile, emeritum et exhauſtum, nullius enim uſus eſſe me ſatis uideo. Igitur te oro, ut Deum nobiscum ores, ut te diutius ſeruare uelit in miniſterium Eccleſiae ſuae et in deſpectum Satanae. Ex Wormatia tandem, cum quinque hebdomadas exſpectaſſemus literas, fere deſperantes, tandem accepimus copioſe. Omnia ex parte noſtra aguntur fortiter et ſapienter: contra ex illorum parte ita pueriliter, ſtulte et inepte, craſſis et inſulſis dolis, et mendaciis, ut Satanam ip-

ſum uideas, aurora ſurgente, ueritatis impatientem mille modis quaerere latebras, effugia et eluſiones; tamen omnia infeliciter, ſicut neceſſe eſt, accidere. Sed quid dubitamus? Gloria, uictoria, ſalus, honor, debetur agno occiſo et reſuſcitato.

Vale, mi Friderice, Dominus non ſinat me audire tuum tranſitum, me uiuo, ſed ſuperſtitem te faciat mihi, hoc peto, hoc uolo, et fiat mea uoluntas, Amen. Quaerit haec uoluntas gloriam nominis Dei, certe non meam uoluptatem nec copiam. Iterum uale. Dominica poſt Epiphan. 9. Jan. 1541. *)

CLXXXVII.

Antonio Lauterbachio.

Expecta Dominum, uiriliter age, mi Antoni. Si nulla eſſet tentatio, quae exerceret fidem chriſtianorum, tu cogita, quid futurum eſſet de Chriſtianis ſecuris, otioſis, uoluptuariis, ſcilicet idem, quod de Papatu factum. Cum igitur tentationes ſint rhabarbarum, myrrha, aloes et antidotum, contra omnes uermes, ſaniem, putredinem, ſtercus huius corporis peccati, ſequitur non eſſe contemnendas, nec pro noſtro arbitrio expetendas uel eligendas, imo ſuſcipiendas quascunque Deus nobis

*) Hummels Biblioth. P. I. p. 237.

inferre uoluerit, ut qui ſciat, quae, quales, quantae nobis utiliſſimae et commodiſſimae. Quare et tu fortis eſto, et cogita: ſi omnino, ut uerum eſt, ferendae ſint tentationes, feramus iſtas potius, quam peiores et grauiores. Sine et ferto, quicquid Centauri et Papiſtae moliuntur. Nec tamen omittas ſcribere, agere, ſupplicare et omnia tentare apud Principem, et ubicunque opus eſt. Quis ſcit, quando bonam horam dabit Deus? nec hic inueniamur nos fatigatos fuiſſe, et ceſſiſſe diabolo, infatigabili hoſti, et tunc ſero noſtri nos poeniteat, et noſtrae mollitiei pigeat. Ita de tua matre nihil te maceres, quae in Stulpen ſub Papatu cum ſcandalo euangelii uiuere mauult, quam Pirnae. Ora pro ea indeſinenter, ſatisfeciſti. Certe bonum non eſſet, ſi omnia mox in praeſenti fierent, quae cupimus aut petimus. Deus melius proſpicit nobis, uidens, quae ſtulta ſint, quae in praeſenti caſu petimus.

De Turca nihil nouarum habemus, nec de noſtrorum expeditione. In Belgio Caeſar publico edicto uetuit ſaeuire in Lutheranos. In Gallia cum biennio pax fuiſſet, paulatim irrepſerat euangelium per libros inuectos. Id cum reſciſcerent monachi, ſophiſtae, parlamentum, ita furere coeperunt, ut 50 exurerent, ſed cum tanta indignatione hominum, ut ne tumultus et ſeditio fieret Pariſiis, rex

ſit coactus interponere manum et ſaeuitiam compeſcere.

Epiſcopus Coloniensis incipit facere mutationem abuſuum in ſua dioceſi. Benedictus Deus, qui euangelium ſuum glorificat, ut ſi ueſtri conſecrandi Bethzaiditae, Corazinitae, Nazarethitae non acceptent prophetam in patria ſua, relictis illis in confuſione ſua, acceptent ipſum Samaritae et mulier Cananaea. Pergamus tantum praedicare, orare, et tolerare, eſt merces operi noſtro, nec in uanum laboramus. Curſim, et in Domino uale, et ſimul ora pro me, ut bona hora aliqua obdormiam. Curſum conſummaui, fidem ſeruari, certamen certaui, quantum pro mea perſona mihi donatum fuit. Saluta tuam Eliſabetham; ſalutat te meus Dominus Ketha et omnes noſtri. Feria 6. poſt Remin. (d. 18. Mart.) 1541. *)

CLXXXVIII.

Vito Theodoro.

G. et P. in Chriſto. Martinus Weygher uocatur, qui has tibi reddit, mi Vite, eſt de ordine equeſtri, iuuenis tum candidi pectoris, tum pieta-

*) Extat in Heckelii manipulo Epiſtolarum p. 94. Kappe Nachleſe P. IV. p. 670. et Litt. Wochenbl. P. II. p. 370.

tis in Christum eximiae, quod uel eo testari possum, quod tentationes illas spiritualissimas a satana passum ipse uidi saepius. Simul fuit, uelut tuo loco, conuiua meus, non uno anno solum, ut mihi satis sit perspectus. Quare eum tibi uehementer cupio commendatum, et aliis nostris. Non eget sumtu, aut ulla alia re, nisi ut uestra frui liceat et opera et fide, si forte casus cadat. Ingolstadium missus est a suis, isthic iuribus, ut puto, daturus operam, postquam rumor increbuit, iurium studia florere potissimum Ingolstadii. Tu igitur si quid charitati debere te existimas, si quid etiam nostro sodalitio, si quid uicariatui tuo (nam loco tuo fuit mihi, ut dicitur, uicarius commensalis) facies, ut sentiat sibi profuisse hanc meam commendationem. Tantum audere mihi permittes spero in tuam humanitatem, quod tanta fiducia ignotum uobis commendo; nam et tuo nomine, quemcunque possum, nosti --- audere, et posse petere, quotquot nobis commendaueris. Valè in Domino et ora pro me cadauere. 17. Augusti 1541. *)

---

*) Strobels Miscell. P. I. p. 167.

CLXXXIX.

Joanni Mathesio.

G. et P. in Domino. Ex M. Calisto audies omnia, quae sum ei locutus. Mihi sane uidetur consultum, si tanto ardent in illum odio tui Vallenses, ut uolenter cedat. Erit eius alibi usus, sed sic, ut non sine tua uoluntate et publico ecclesiae uestrae testimonio dimittatur certis causis allegatis, quibus meruerit odium et causam dimissionis. Deinde tui officii est, ut non sine tuo consensu Ecclesia seu plebs tibi inuito obtrudant, curare. Nam hoc est non minus tyrannis cum in pastorem ipsum, quam si pastor inuita ecclesia aliquem obtrudat. Referantur ergo merita utriusque partis ad superiores. Si enim pro libidine plebis uel pastoris inuicem sibi obtrudant, quem utra pars noluerit, iam non erit Ecclesia uel administratio. Quare tecum conueniant, aut ipsi fiant per se Episcopi, quod si alium pro se et contra te uocarint, sciant sese contra euangelii regulam agere et omnia maledicente Deo infeliciter successura. Vale. Nam aegrotus et occupatus cogitationibus haec scripsi, et habe tibi Calistum commendatum, qui bonus uir mihi semper habitus est, quo magis tuis Vallensibus indignor, nam saturi uerbi ingrati pro redemtione a tyrannide Papae durissima, sed duriorem uidentur

mereri uel alicuius tyrannidem quam et inuenient, quod meo nomine illis prophetare poteris, si tales sint et esse pergant. die S. Bartholi. (d. 24. Aug.) 1541. *)

CXC.

Nicolao Amsdorfio.

Et ego impense gaudeo, uir in Domino charissime, placuisse tibi literas meas, scilicet non in uacuum me scripsisse. Volebam enim consolari, ut qui pro te sim sollicitus non uulgari sollicitudine, memor in quantas te curas coniecerim, uel potius coniici consenserim. Sed Dominus, qui per stultos et infantes regit orbem, et confundit sapientes in sapientia sua, ipse perficiet opus suum per nos stultissimos uirorum, ut Prouerb. I. appellamur. Caeterum non te afficiat, quod scripsi, nihil me abs te petiturum. De Episcopo, non de Amsdorfio scripsi, id est, nolim mihi quicquam dari, tanquam de rebus Episcopatus, scilicet, ne centauris indignissimis occasio fiat blasphemandi, postquam ipsi omnia deuorant sine conscientia, et postea culpam in nos transferant, propter unum aprum uel leporem aliis donatum. Lasset sie fressen in Gottes oder eines andern Namen, dass wir nicht mit fres-

*) VN. 1732. p. 694.

ſen geläſtert werden. Gratulor, quod Clerus Cizenſis morigerum ſeſe oſtendit. Noua nulla, niſi quod ſub incude eſt liber dē Epiſcopatu, quem Naumburgae promiſi. Eſſet iamdudum abſolutus, ſi per nouam imbecillitatem ſtetiſſet, et quaeſo quid maiore uoluntate cuperem, quam ut ante quindenam eſſet abſolutus? Quod poſſum, promtus facio. Vale in Domino, qui te confortet, et ora pro me. 12. Februar. 1542. *)

CXCI.

Hier. Wellero.

Iſte belli huius ſubitaneus tumultus ex multorum cordibus reuelauit cogitationes, quod ſint Centauri Miſeni et Lerna Lypſenſes fallaces et perfidi ſimulatores in Euangelio fouendo. Det Deus illis perditis tyrannis luxu, uſura, auaritia, ſuperbia, perfidia, odio, impuritate, hypocriſi, ſeditionibus, fraudibus et omni impietate et malitia deprauatis ſuam mercedem ſuo tempore, quod tam parricidiale bellum excitarunt, Amen. Deus exaudiuit orationem eccleſiae ſuae, et porro exaudiet contra illos diabolos, ut non perficiant, quod faciunt. Vale et ora pro eccleſia Dei, ſicut ipſa pro te et nobis omnibus orat. (m. April) 1542. **)

---

*) Seckendorf. Hiſt. Luth. L. III. p. 411.

**) Hummels Bibl.

CXCII.

Justo Jonae.

Vix signaueram literas alteras, mi Jona, cum uenit M. Philippus, afferens (cum afferret M. Philippus) mihi publicas literas dictatas, quae nomine nostro traderentur M. Johanni Crausio, misero Lazaro illi, et haud dubie uni ex minimis Christi, ut illis mendicando uteretur, ubi posset, postquam tot scriptis, itineribus, laboribus, clamoribus, frustra postulauit micas de mensa epulonis illius Walkenriedensis cadentes. Dici non potest nec scribi, quam sim commotus indignitate rei tantae, et maledixi plane omnibus bonis non solum Abbatis, sed et Michaelis Meienburg, qui suauiter fruitur et epulatur (fruuntur et epulantur) de bonis monasterii, de quibus tamen prospectum oportuit huic seni et coeco, et nunc publico mendico. Quid est quod nos oramus contra Turcam, imploramus Deum, docemus populum, cum interim illi, qui Euangelici esse uolunt, auaritia, rapina, ecclesiarum spoliis secure irritant iram Dei? sicut uulgus sinit nos docere, orare, pati, ipsi interim peccatis peccata exaggerant. Quare te oro, mi Jona, ut, si tibi quae est cum ipsis communio, desinas per Christum, et ne miscearis eorum pec-

catis

catis et maledictioni. Nam Christus hunc Crausium, pauperem suum Lazarum, haud dubie plus facit, quam totum mundum, ut nihil dicam de duabus illis bullis Michaele et Abbate. Quam fuisset pulchrum, dum Michael ab Abbate acciperet tam largas donationes, ipse memor huius Lazari dixisset Abbati: Domine mi, ego carebo, ut ipse Lazarus micas habere possit? Sed sic facimus, Dei obliuiscimur, ut rursum obliuione Dei afficiamur. Haec tibi ira iam commotus scribere uolui, ut scires, me zelo Dei odisse Michaelem et Abbatem, neque desistam illis maledicere, donec Lazarus iste mendicat. Maledicat eorum opes Deus, et egrediatur ignis ex Walkereda, et deuoret etiam simul ea, quae alias iuste possidere possent, Amen, Amen, Amen. Dominica post Magdal. (d. 23. Julii) 1542. *)

CXCIII.

Justo Jonae.

G. et P. Quid est quod quaeratis aut dubitetis, mi Jona, de aperiendo tertio templo S. Mauritii? Isti sunt dies, quos expectandos esse censui-

*) Abhandl. vom gelehrten Bücherfluch p. 37. Leuckfeld, Antiquit. Walkenr. P. II. p. 94. germanice extat in VN. 1727. p. 12.

mus proximo cõnsilio, cum adessent uestri Consules et Syndicus D. Doctor Chilianus. Conculcatus etiam ille filius Dei glorificauit sese in hostibus suis. Data nobis uictoria ista insperata et incredibilis apud omnes, tam nostros, quam aduersarios. Epiphania Domini manifesta est. Et quanquam monstro illi Moguntino non optem iram Dei et damnationem sui, tamen laetor inueteratum illum dierum malorum Dan. XIII. 52. (ubi senis libidinosi mentio fit) tamdiu uixisse, ut uideret horribilem istam confusionem consiliorum suorum satanacissimorum, et casum irreparabilem. Benedictus Deus, qui utique iudicat in terra, et capit impios in operibus manuum suarum, ut non possint dimidiare dies suos. Ploret nunc sane, sicut dignus est, et uiuat in poenam sui, qui tot triumphos in laetitia nequitiae suae hactenus habuit, contra Deum et omnia, quae Dei sunt. Agite quaeso nobiscum publicas et solennes gratias, fecit enim Deus nobiscum mirabilia in gloriam suam, nec despexit preces et gemitus pauperum suorum, sed fecit in breui uindictam suorum ad se clamantium. Sic pereant omnes hostes tui Domine, Amen. Dat. 18. Aug. 1542. *)

---

*) Seckendorf. Hist. Luth. L. III. p. 373.

CXCIV.

Johanni Forstero, Praeposito S. Laurentii Noribergensis, Legato Christi Regenspurgensi.

G. et P. Scripsi de Nopo Senatui uestro, quid egerimus, quidque ipse promiserit. Difficilis fuit, ut scribis, sed permouimus eum, ut ad initia quadragesimae se coram sistat et exploret, exploreturque. Tu interim cura et satage, ut ministros in isto tempore difficillimo non sinant egere. Frigent enim ubique imo gelascunt manus dantium, et ardent contra rapientium et parcentium, ubi dandum est. De tuo Ludouico cum suis literis A. G. V. H. S. D. sic sentio, quod sint desperantis: Alle Glück und Heil sein dahin. Sic digni sunt; alii aliud. Nihil enim curant, neque Dei neque hominum, sed solum et unicum suum uentrem, et quae uentris sunt. Quos Dominus uocat, illi ueniunt, caeteri uadant. Vale et ora pro me, die 27. Nouemb. 1542. *)

---

*) VN. 1708. p. 721.

CXCV.

Martino Gilberto, Paſtori Mariaebergenſi.

Quid ego tibi, mi Martine, aliud conſuluero, quam ipſe Dominus docuit Matth. 18. id eſt, primo eos accedas, qui tyrannidem hanc Miniſtri deponendi exercent, et admoneas priuatim, non eſſe ipſorum poteſtatis deponere aut uocare miniſtros, ſed eorum, quibus mandatum uel a ſuperiore, uel a Deo. Quod ſi deponere uelint, deponant eos, quos ſua pecunia alunt et uocant. Iſtius pecuniae, quae eſt Eccleſiae et Chriſto donata, ſerui ſunt, non Domini, ut ea liceat uti pro ſuo libitu. Nullus enim eorum ferret, ut uicinus ſuus ſeruum alterius eiiceret, cum non ſit domus nec res eius. Ideo fures, imo ſacrilegos ſe eſſe ſciant, ſi ſeruum alienum, ſcilicet Chriſti eiecerunt, et pecuniam alienam alieno dederunt. De ſua pecunia faciant, quid libuerit. Alienam ſinant eſſe alienam. Niſi in hac re reſipuerint, habeas eos pro ethnicis, nec dignos, qui ſeruiant arcae eccleſiaſticae, cuius uelint Domini eſſe. Cetera ipſe cogitabis, et Spiritus ſuggeret. Vale 24. Januarii 1543. *)

---

*) Litt. Wochenblat. P. II. p. 312.

CXCVI.

Georgio Helto Forchemio.

Gratiam et pacem a Domino nostro. Postulauit meum iudicium et sententiam de actionibus illis Sacrarum historiarum Joachimus noster, quas quidam ex nostris ministris Ecclesiae improbant. Breuiter igitur sic sentio. Mandatum est omnibus hominibus, ut uerbum Dei Patris prouehant et propagent, quibuscunque id fieri potest rationibus, non tantum uoce sed scriptis, pictura, sculptura, psalmis, cantionibus, instrumentis musicis. Sicuti in Psalmo 149. Laudate eum in tympano et choro, laudate eum in chordis et organo, et Moses ait: ligabitur ea quasi signum in manu tua eruntque et mouebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine et ostiis domus tuae. Vult cogitari et moueri inter oculos uerbum Dei Moses, quod qua ratione potest fieri commodius et illustrius, quam talibus actionibus, grauibus tamen et moderatis, non histrionicis, ut olim erant in Papatu. Incurrunt enim talia in oculos uulgi, ac interdum plus mouent quam conciones publicae. Sicut in inferiore Germania, ubi publica professio prohibita est, ex actionibus de lege et euangelio multos conuersos et amplexos sinceriorem doctrinam. Cum igitur bono consilio et studio prouehendae ueritatis

Euangelicae tales conciones graues dirae et moderatae instituuntur, minime sunt damnandae. Vale bene cum optimis Principibus, quos Deus suae Ecclesiae quam diutissime incolumes conseruet. 5 April 1543.

CXCVII.

Ecclesiarum Venetiarum Vicentio et Teruisii Fratribus.

Gratia et pax uobis multipliciter a Deo patre nostro J. C. qui se ipsum uendidit uictimam pro peccatis nostris, Amen. Optimi et charissimi fratres, litterae uestrae Cal. Decembribus datae satis tarde mihi sunt redditae, etsi M. Vitus Theodorus Norimbergensis fidelissimus minister olim meus conuiua familiarissimus in culpa non est. Ego potius in culpa sum, qui tam tarde uobis respondeo. Agitur nunc sextus fere mensis, postquam huc uos scripsistis, sed ego nolo uos occupare uerbis excusationis inanibus. Vnum hoc testabor, me transactis diebus, quando uobis respondendum fuisset, ita fuisse languidum, ut sperarem, mihi adesse horam transitus mei. Quare D. Philippo uestras tradidi litteras, ut pro me ipse responderet uobis. Quod cum esset facturus, licet occupatissimus, ecce subito euocatus ab Archiepiscopo Coloniensi,

Principe-Electore, ut in ea dioecesi euangelium Christi plantet et ecclesias instituat, quas, ut ipse scribit, inuenit deformissimas infinitis et manifestis corruptelis tam in doctrina quam in moribus. Interim ego, sic Deo uolente, a sepulchro reuocatus, licet adhuc infirmus, et multis litteris ac causis obrutus uestras litteras resumsi in manus et talia tantaque bona praeuenientis Domini in uobis inuenio, ut me pene pudeat mei, qui tot annos in uerbo Dei exercitatus tam imparis uirtutis et spiritus me esse intelligam. Nam ea, quae mihi tribuitis, pro studio et candore uestro indigno mihi tribui satis agnosco. Caeterum re ipsa sum inferior longe uestris et opinionibus et iudiciis. Homo sum peccator, sed quem Deus ex tantis tenebris uocauit in admirabile lumen suum, et in ministerio tanto tam ineptum et minime idoneum posuit. Gaudeo tamen uehementer uobisque magno corde gratulor, Deum uero patrem omnis gratiae et benedictionis benedico et glorifico, qui siue per nostrorum siue per aliorum scripta notum uobis fecit salutare et inenarrabile mysterium I. C. filii sui. Nam ex meis scriptis puto non multa uos potuisse habere, cum latine raro scripserim. Sum enim, ut prouerbio nostro dicimus, teutonicus praedicator, illiteratus praeceptor. Sed unde uel unde habeatis, parum interest. Ex Deo habetis nobiscum omnia, et estis

me multo meliores. Deo gratia et gloria, Amen. Quare factum est, ut pene abstinerem a respondendo, cum nihil uiderem dignum quod responderem illis, quos Dominus tanta dignitate Spiritus sui praeuenisset. Quid enim uobis per Christum deest spiritualis boni, qui Christum filium Dei agnoscitis et confitemini, qui sic ardenter esuritis et sitis iustitiam, qui sic beati propter Christum lugetis et persecutiones patimini, qui sic perfecto odio habetis inimicos Christi et Antichristum? Quis ex uobis sperare potuit talia uel uiuentibus uobis in ipsa Italia fieri et uigere, uel futura esse aliquando in ipsis finibus Antichristi, qui uos extra fines mundi positos ferre noluit. Sed his exemplis quoque iubet uos sperare et petere, quia potens est facere supra quam petimus aut intelligimus, haud dubie perfecturus opus suum, quod incoepit, usque ad finem ad gloriam suam et salutem nostram. Verum ne fallerem spem uestram, aut contristarem spiritum uestrum, uolui abiecto pudore et sumta fiducia de beneuolentia charitatis uestrae haec modicula et rudia pro responsione uobis rescribere: quae ut ut sunt, uelitis benigne non pro meritis aut dignitate, sed pro uestro sincero candore accipere.

Primum quod petitis, ut Principes nostrae communionis ad Senatum Venetum pro uobis scribant, id quidem et sedulo et cupide agimus. Sed quia

moram requirit diſtantia locorum, et infinitum onus negotiorum, quo Principes tum foras, tum domi diſtringuntur, nondum effecimus, quantum uolumus. Deus det, ut propediem fiat. De promtitudine animi et uoluntatis nullum eſt dubium, modo per aularum curam citius fieri poſſet.

De ſciolis et currentibus ſine miſſione prophetaſtris facile uobis credo. Exercuerunt iſtae peſtes Satanae et nos multo plus, quam ipſe Antichriſtus, nec adhuc quieſcunt omnes, licet fractae ſunt non parum uires eorum per Chriſtum, ſed non ſumus meliores patribus noſtris. Oportet haereticos eſſe, ut probati manifeſtentur, et ut in populo illo, ait Petrus, fuerunt Pſeudoprophetae, ita in uobis erunt falſi magiſtri.

Cum una parte uel parte quadam unius partis Sacramentariorum in gratiam reditum eſt. Det Chriſtus, ut ſit firma et perpetua. Ex his ſunt Baſilienſes, Argentinenſes et Vlmenſes, non quidem expurgato penitus ueteri fermento in uulgo, miniſterium tamen et doctrina ſalua et ſana eſſe uidetur. Nam Bucerus collegam agit Philippi in Colonienſi Eccleſia, quod ferendum non eſſet, nec Philippus pateretur, ſi impurus haberetur. Sed in Heluetia perſeuerant, praeſertim Tigurini et uicini, hoſtes ſacramenti, et utuntur profano pane et uino excluſo corpore et ſanguine Chriſti, eruditi

ſane uiri, ſed ſpiritu alieno a nobis ebrii, quorum contagium uitandum eſt. Nam ſententiam noſtram, ut ſcribitis, non ignoratis. Nos ſic ſentimus: in Sacramento non miniſtrari panem et uinum ſolum, ſed uere corpus et ſanguinem Chriſti, non tantum dignis et credentibus, ſed indignis etiam et impiis, ut Paulus docet, et hactenus tota Eccleſia usque ad nos ſeruauit. De transſubſtantiatione reiicimus inutilem et ſophiſticam diſputationem, nihil morati, ſi quis eam alibi credat, uel non. Cum illis autem nunc reconciliatis fuit antea diſſidium, quod illi calliditate et aſtutia uerborum nobis imponebant, in ſacramento quidem monſtrari cum pane et uino corpus et ſanguinem Chriſti, ſed ea intelligentia, ut os quidem perciperet panem et uinum, at corpus et ſanguinem non os, ſed fides ſeu ſpiritus credentis in corde, et agebant hoc, ut inter nos et illos uerbalis tantum pugna et logomachia quaedam fuiſſe uideretur, quo facilius coaleſceret concordia. Sed hanc transſubſtantiationem et fraudem eluſimus, cogentes eos concedere, quod et os impii acciperet corpus et ſanguinem, dum panem et uinum accipit. Nam ad perceptionem illam ſpiritualem quid opus eſt ſacramento? Cum hoc modo etiam in baptiſmate percipiatur, imo in omni uerbo miniſtrando, et ſine mentione corporis et ſanguinis, de qua Chriſtus Joh. VI. loquitur:

nisi manducaueritis carnem filii hominis et bibatis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis et nisi credideritis, me hominem pro uobis factum, passum, sanguinem fudisse. Quare et uobis inuigilandum est, ne prophetaster istis praestigiis irrepat et se subintroducat apud uos.

De Apologia autem reconciliationis a M. Philippo edita ego prorsus nihil scio, nec eam uidi, inquiram autem apud exteros diligentius. Habetis meam sententiam, quam Germanus non uno tantum libro testatus sum, ut mihi uidetur, patenter et perspicue. Caeterum Ecclesiae nostrae tranquillae sunt: pura doctrina, sincerus usus sacramentorum, docti et fideles ubique pastores Dei gratia. Fructus autem uerbi et operum non est similis fertilitas et feruor. Friget populus, et multi libertate spiritus abutuntur in teporem et securitatem carnis. Christus augeat uobis spiritum. Dominus I. C. emendet et perficiat omnia acceleretque diem redemtionis nostrae. Mundus, Turca, Papa furunt blasphemando nomen Domini, uastando regnum eius, ridendo uoluntatem eius, cum interim pane fruantur quotidiano soli, fame necatis Christi membris. Sed fortior et maior est, qui in nobis, quam qui in mundo est, ipse triumphat et triumphabit in uobis usque in finem, ipse consoletur uos Spiritu suo sancto, in quo uocauit uos ad societatem corporis

ſui. Nos gratias non deſinemus agere pro uobis, quod uiciſſim a uobis fieri non dubitamus.

Quod in fine de librariorum improbitate ſcribitis, dolenter audimus, atque ſi quid in hac re poſſem praeſtare, libenter facerem. Quodſi apud M. Vitum Theodorum de hac re egeritis, is per Norimbergenſes poſſet mittere, quoscunque libros uelletis, ſi catalogum uel indicem ad eum daretis.

Spero uos habere locos communes Philippi, item ad Romanos, Danielem etc. Nam de meis latine fere nulli ſunt, niſi commentarii ſuper Galatas excepti per alios, germanica uobis nihil proſunt. In Domino quam optime et ſanctiſſime ualete, et fratres omnes reuerenter in Domino ſalutate, meque eorum precibus commendate, ut Dominus bona hora tollat animam meam. Feſſus ſatis ſum uiuendi, ſatis diu uixi, undique maiora, quam ſperare ullus potuiſſet in principio, dum indulgentias reuerentius, quam par erat, tractarem. Benedictus ſit Deus, Pater Domini noſtri I. C. qui facit mirabilia ſolus, Amen. Datae Wittebergae, idibus Junii (13. Jun.) 1543. *)

---

*) B. F. Hummelii noua Bibliotheca libr. rar. P. I. p. 239.

CXCVIII.

Vito Theodoro.

G. et P. Accepit a me literas illas ad Italos fratres, quas toties a me flagitasti, hic Matthias Illyricus nostris homo notissimus et magnae fidei. Iussi autem ut te accederet, certumque te faceret, me scripsisse et liberasse fidem meam. Simul si et tu ipse scribere ad eos uelis, queruntur enim de librariorum improbitate et auaritia. Quare admonui eos, ut de hac re tecum agerent, qui per uestrates posses illis libros mittere, quos cuperent. Recta enim pergit ipse Matthias ad eos, ut audies. Ago gratias pro uitris missis, et pro foenore. Ora pro me, ut Dominus bona hora me uocet ad se. Salutat te mea Ketha. Idibus Junii (13. Junii) 1543. *)

CXCIX.

Justo Jonae.

Gratiam et pacem in Domino, qui secundet et benedicat tuis nuptiis, Amen. Nos hic pro te contra fortius pugnamus, quam forte tu ipse. Non est modus iudicandi nec finis. Sed Christus dicit: Nolite iudicare, ne iudicemini, et uere iudicantur. Nam festucam tuam damnant in alieno oculo, suam

*) Strobels Miscellaneen P. I. p. 168.

trabem in oculo proprio damnatam gerunt, facti ludibrium daemonum, irrisio angelorum. Ita nos fidenter in eos diximus: Wenn zehen Huren hier waeren, die viel Studenten mit Franzosen verderbten. Hic nemo iudicat, irascitur, omnes sunt pisces, aut segnissimi iudices ac paene patroni. Si dimidia ciuitas adulteriis, usura, furtis, dolis, fraudibus, perdita sit, nemo iudicat. Omnes paene rident, uel ipsi potius consentiunt, aut faciunt. Es ist ein verdriesslich ding um die Welt. De hoc satis. Mitto exiguum xeniolum per hunc nostrum legatum, sed tu nosti tenuitatem meam, et aes alienum mihi esse multum. Simul nuptiae quotidianae hic me exhauriunt, quare aequi facies et boni, quod pinguius non dono. Bene in Domino uale et saluta meo nomine sponsam. Fer. 2. post Viti (16. Junii) 1543. *)

CC.

Nicolao Amsdorfio.

Tibi esse molestum istum Episcopatum, etiam sine teste ualde credo: sed quia uoluntas Dei fuit, et est, de qua dicimus: fiat uoluntas tua, in qua nobis uiuendum, laetandum, ferendum est omne,

*) Litt. Wochenblat. P. II. p. 315.

quod acciderit. Si nemini placet, sufficit, illius uoluntati optimae placuisse, quod facimus, aut quod patimur. Ipse reddet suo tempore nobis, qui uoluntati eius bonae licet incognitae et insensibili nos obtulerimus. Miseria est, in qua uiuis, sed ea coniuncta est cum gloria aeterna et beneplacito Dei, quia non tibi, sed eius uoluntati seruis in hac seruitute, deinde impedimentum es Diabolo et suis, ne mala plura faciant. Et absit, ut Episcopus esses similis istis uentribus, qui suas hic consolationes habent, in perpetuam ignominiam et poenam. Non enim sunt in luctu nobiscum, cum hominibus non flagellantur etc. Consolare ergo et roborare in Domino, cum scias te esse in ista beatitudine cum sanctis: Beati qui lugent, quoniam ipsi in Domino consolabuntur. Ora pro me, ut uel cito moriar in Domino, uel recreatior factus te cito uisitem, Amen. 10. Julii, 1543. *)

CCI.

Hermanno Bonno.

G. et P. Quod a me petis, una et a D. Pomerano, mi Bonne, sic habe. Quandoquidem, ut scribis, et facillime te non scribente credo, non

*) Seckendorf. Hist. Luth. L. III. p. 467.

posse in recenti ista plantatione Ecclesiae Episcopum Monasteriensem tua opera carere, consulo et suadeo omnibus modis, ne Episcopum tanto dono Dei ad euangelium uocatum deseras. Esses enim offensurus non modo nos omnes, sed etiam Spiritum Christi in nobis. Videmus Dei mirabilia, qui tantos Principes et Episcopos, quod hactenus ferme ne sperare quidem licuit, uocat uocatione sua sancta et eos sincero affectu per Spiritum trahit. Quam alienum igitur esset a nostra professione et salute, tale opus Dei uel negligere uel impedire? quod utique faceremus, si deesse aut deserere uellemus, ad quos accurrendum esset potius, et omni studio seruiendum. Spero Lubecenses tuos, ut prudentes et religiosos uiros facile tibi tantum temporis esse concessuros, etsi mihi eorum pro te piissima sollicitudo et aemulatio uehementissime placuit. Gaudio enim maiori in hac uita non gaudeo, quam dum audio, ecclesias amare et ambire et Zelare suos pastores. Sed cogitabunt, sese postquam constitutam habent ecclesiam, et optimos uiros, qui loco tuo ad modicum tempus uices tuas impleant, hoc obsequium Domino libenter debere, ut per te et per eorum patientiam etiam alii populi salutem consequantur, et Pater Domini nostri I. C. amplius glorificetur. Hanc spem de eis digne concipio,

post-

postquam uideo, eos sic animatos in te, ut te non facile carere uelint. Habes quid uelim et quid consulam. Principi tuo et Episcopo ignotus sum, sed nisi molestum est, nomine meo offeres Celsitudini suae meum miserum pater noster in Domino. In quo bene uale et prosper age. Amen. 5. Augusti, 1543. *)

CCII.

Matthiae Romaschi Pastori Cibinensi.

Obtulit mihi tabellarius tuus, mi Matthia, una cum literis tuis libellum de reformatione Coronensis Ecclesiae et totius prouinciae Bercensis typis Coronae excusum, quem uolui ad te mittere, sed tabellarius dixit, abundari isthic apud uos exemplaria, uoluitque penes me retineri, omnia enim, quae tu a me petis, in isto libro offendes melius, quam ego scribere possum. Placuit enim mihi uehementer, qui tam docte, pure et fideliter scriptus est. Igitur hunc libellum lege, et cum Coronensis Ecclesiae Ministris communica, illi tibi erunt utilissimi cooperarii pro Ecclesiae tuae reformatione. Nam nostrae Ecclesiae formam diligenter

*) Starck. Lübeck. Kirchenhist. p. 90.

prosecuti sunt in isto libello, ad quem et quos te remissum uolo. His in Domino felicissime uale et prospere age, Amen. Sabbatho Aegidii (1. Sept.) 1543. *)

CCIII.

Justo Jonae.

Orandum est multum hoc tempore, scribendum parum: quae enim scribantur bona, paene nulla sunt, in tanta malorum undique furia. Orari autem non possunt, nisi bona. Flagellum pestis iam apud uos saeuit, fortasse etiam non longe a nobis. Sed fuit ista uirga semper uirga ecclesiae, ut Paulus 1 Cor. 10. qua pigritia et negligentia fidei castigata est. Dormiunt multi, inquit, inter uos, et multi imbecilles. Sed ita corripimur, dum a Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Bella flagellum irae sunt, bella maxime huius aetatis, quae non bella, sed furentis Satanae latrocinia sunt, per istos furiosos homines, ut a quibus plus malorum est, si intra muros nos defendant, quam ab hostibus, qui foris oppugnant.

Wulff Heintzen optimo uiro condoleo, et scio eius dolorem. Sed ueniet tempus, quo gratias aget Deo, qui suos eripuerit tam paterno, et

*) VN. 1718. p. 1137.

ut dixi, ecclesiae proprio flagello, ex istis tartaris et barathris huius mundi. Ego meam filiam Magdalenam carissimam nunc gaudeo esse ereptam ex Vr Chaldaeorum, securus de ipsa secura in aeterna pace, licet magno moerore ipsam amiserim. Tu confortare in Domino cum tuis, qui te et illos conseruet in gloriam suam. Justum tuum fideliter admonebo, adiuncturus et meum Johannem, si Philippo tolerabile fuerit. Vale et ora pro me. De Turcis et Papistis nihil scribo, quorum glorias prostercere diaboli habeo. Vltima Sept. 1543. *)

CCIV.

Vito Theodoro.

G. et P. in Domino. Voluit M. Rorer, cuius est in me satis magnum et multum imperii, ut has ad te scriberem, mi Vite, quamuis, ut sum seditiosus aduersus talem meum Imperatorem, forte contemsissem eius imperium, nisi rhetoricatus mihi persuasisset, te esse adhortandum in Genesi mea, ut coepisti, ad pergendum. Quanquam et hanc Rhetoricam eius contraria rhetorica facile potuissem eludere, nisi me hoc mouisset argumentum dialecticum, postquam iacta est alea, turpe sit desistere, ne for-

*) Litt. Wochenbl. P. II. p. 317.

te ipſe quoque Moſe nobis illud triuiale obiiceret: turpius eiicitur quam non admittitur hoſpes. Caetera tu et ſimilia tibi ipſi ex graecis facillime canere poteris. Quamuis fateor mihi uehementer diſplicere in meis operibus, dum uideo multa eſſe, quae deſiderari iure poſſunt. Sed ſolor me Pauli uoce: quis ad haec idoneus? Si enim non ante eſt aperiendum os, quam donec idonei ſumus, nunquam Chriſtus praedicabitur. Sed bene habet, quod ipſe ex ore infantium perficit uirtutem. Qui per balbutientem, ſeu ut ipſe dicit hebraice grauem linguam Moſen, ſubuertit regna Egyptiorum, Cananaeorum etc. Et per Apoſtolos Idiotas orbem terrarum. Perge igitur, ut ſatisfiat Imperatori meo M. Georgio Rorer, in quem ſi peccaueris, quomodo ego tibi potero eſſe propitius? Vale in Domino et ora pro me. 7. Nouemb. 1543. *)

CCV.

Nicolao Amsdorfio.

De nouitatibus nihil ſcio, neque magnopere ſcire cupio. Mundus eſt mundus, fuit mundus, erit mundus, qui nil ſcit, nec ſcire cupit de Chriſto. Eat ergo uiis ſuis, ut Chriſtus et nos etiam

*) Strobels Miſcell. P. I. p. 170.

nihil de eo ſciamus, niſi quod hoc ſcimus, non eſſe uera, nec futura, quae mundus ſcit et cupit, quia ſcriptum eſt; uanitas omnis homo uiuens, et tu Domine imaginem eorum ad nihilum rediges. Nihilominus pergunt furere, et indies peiores fieri, quae res magnum ſolatium eſt, inſtare diem aduentus gloriae Dei. Nam ille indicibilis contemtus uerbi et gemitus piorum inenarrabilis ſignificant, mundum eſſe traditum, ut acceleret diem perditionis ſuae, et ſalutis noſtrae, Amen, fiat Amen. Sic erat mundus ante diluuium, ſic ante ſubuerſionem Sodomae, ſic ante captiuitatem Babylonis, ſic ante excidium Hieruſalem, ſic ante uaſtitatem Romae, ſic ante miſeriam Graeciae et Hungariae, ſic erit et eſt ante ruinam Germaniae. Hoeren ſollen ſie nicht, erfahren müſſen ſie. De his tecum coram libentius agerem pro mutua inter nos conſolatione. Wir müſſen doch ſingen cum illis Jerem. 51. Curauimus Babylonem, et non eſt ſanata, derelinquamus eam. Vale in Domino, qui eſt ſalus noſtra et ſaluabit nos in aeternum, Amen. 7. Nou. 1543. *)

---

*) Seckendorf. Hiſt. Luth. L. III. p. 467.

CCVI.

Nicolao Medlero, Paſtori Naumburgenſi.

G. et P. in Domino. Omitto iam, mi Medlere, Doctor et uir Clariſſime, te conſolari in tua cruce ſatis amara, qua te crucifixit Dominus, ſed dulcis et pius Dominus et ſaluator. Cum ipſe tu ſcias, et alios id doceas, optimam ſemper eſſe uoluntatem Patris noſtri, cuius bonitas immenſa licet abſcondita carni et ſanguini, tamen erudit ſic nos, ut diſcamus guſtare, quam ſuauis ſit Dominus. Quod fieri non poteſt, niſi uarie mortificata carne locus fiat ſpiritui gementi et ſuſpiranti uoluntatem Domini in terra uiuentium. Sed haec alias, et apud te ſpero non adeo neceſſaria. Nunc hoc ago. Scripſit ad me Reuerendus Dominus, et Deo et hominibus dilectus uir, Epiſcopus Dominus Nicolaus ab Amsdorff, uacare lecturam in ſummo templo Naumburgenſi, quam uellet a te acceptari. Quare et ego te oro, ſi ullo modo fieri poſſit, ut ſimul et hanc lecturam ſuſcipias, tum honeſta et uocatione motus aut mihi ſtatim reſpondeas, ut alium poſſim nominare. Breuius ſcribo ualde occupatus. Nam his diebus reuixi mortuus, et bis concionatus ſum, ſine omni, quod miraculum fere putatur, difficultate. Vale in Domino cum tuis, et crede nobis omnibus pene parem dolorem acci-

disse in filii tui optimae spei adolescentis obitu: Sed raptus est, ut ait ille, ne malitia mutaret intellectum. Consilia Dei sunt alia, quam nostra, et haud dubie meliora. Die S. Joannis (d. 27. Dec.) intra natalia Christi, 1544. (1543.) *)

CCVII.

Georgio Spalatino.

G. et P. in Christo Deo et Saluatore nostro. Placet mihi institutum tuum, mi Spalatine, nec dubito, quin Deo ipsi placeat et omnibus, qui Deum quaerunt, quo collegisti Sanctorum Dei dicta et facta potiora (puriora). Pertinent enim haec ipsa non solum ad obstruendum os loquentium iniqua contra nos, et obtrectantium nobis, quasi nouas opiniones et dogmata feramus, uerum etiam ad confirmandas nostras conscientias, tot testimoniorum et exemplorum ueterum nube eruditas, qui eadem nobiscum senserunt, dixerunt, fecerunt et tulerunt. Nam etsi unicuique sufficere debet sua fides in uerbum Dei, ut contra portas inferorum etiam sibi soli in acie standum sit: tamen, ut est, iuxta Spi-

*) VN. 1740. p. 138. et Schlegel. uita Jo. Langeri p. 229. et Hummel. in Biblioth. libr. rariorum P. II. p. 545.

bitum promtum, caro infirma, non leui aut parua momento mouetur pius animus, si uiderit tot secula, tot exempla, tot excellentes homines ante et circa se similes fuisse, et similia semper facta esse per illos, qualia nos ex scripturis didicimus, et experientia quotidiana cognoscimus in nobis. Multa sunt quidem in sanctis hominibus, sicut et in nobis, quae dixerunt et fecerunt secundum tyrannidem et legem peccati Rom. VII. Quod uolo bonum, non facio, quod nolo malum, hoc facio, itaque non ego id facio, sed quod in me habitat peccatum. Taceo mendacia, quae sunt in eorum historias per impios diaboli ministros seminata; tamen cum uentum est ad agonem et confessionem, uidemus, quam pure et constanter fidem suam testentur. Quid potuit Ambrosius magis pie et fortius dicere, cum in agone suo nouissimo contra peccatum, mortem, iram Dei et infernum hanc uocem confidentissime edidit ad circumstantes sacerdotes: Non sic uixi, ut me pudeat inter uos uiuere. Nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus. Quam uocem S. Augustinus in suo quoque agone mirifice commendauit, ut refert Possidonius in eius legenda; et ipse quoque Augustinus sese hac uoce sui ipsius solabatur contra conscientiam: (quae est mortis saeuissimum ministerium) Turbabor, inquit, sed non perturbabor, quia uul-

uerum Domini recordabor. Quis non uidet, sanctissimos uiros talibus uerbis testari fidem in Christum, nudam quidem et solam, sed firmam et uictricem mortis et peccati? Nam etsi uitam et opera sua iudicent coram hominibus irreprehensibilia esse (sicut decet et oportet) tamen coram Deo nituntur sola misericordia et bonitate eius, tacitis meritis et in uulneribus Christi, sicut columba illa in foraminibus petrae (petra autem est Christus) uolunt inueniri. Recte itaque et utiliter facimus, si sanctorum dicta et facta primum a mendaciis alienis purgemus, deinde uerbum recte secantes prudenter ad regulam seu analogiam fidei probemus, sicut docet Apostolus: omnia probate, quod bonum est, tenete. Qua admonitione quid opus fuit, si sanctorum dicta et facta omnia sine iudicio pro articulis fidei essent habenda? Non fuit eorum uocatio aequalis Apostolorum et Prophetarum uocationi. Sancti fuerunt, sed homines, et quorum spiritus promtus patiebatur carnem non modo infirmam sed et repugnantem. Ubi ergo spiritu dominante loquuntur et operantur, sunt eorum opera et opera colligenda ceu fragmenta euangelica, ut quae Dominus Christus in eis operatus sit, et uere sint Christi ipsius opera: ubi uero carne aduersante loquuntur et operantur, damnandi sane non sunt, sed excusandi uel tolerandi pro nostra certissima

consolatione, quia uidemus sanctos Dei nobis infirmis similes fuisse, et suam unumquemque in carne ista peccati circumtulisse infirmitatem. Hac causa uolui tuum librum, mi Spalatine, inuulgari. Sed tu deinceps tibi a laudibus meis tam grandibus, dicerem (nisi esset mihi tuus candor notus) falsis temperabis. Scio, me esse nihil. In Domino bene-uale, et ora pro me, ut feliciter migrem ex corpore mortis huius et carne peccati huius, Amen. 8. Martii, 1544. *)

CCVIII.

Justo Jonae.

G. et P. Nihil habeo, quod scribo, nisi quod oro et spero, diem illum redemtionis instare. Sic enim totus ubique commouetur et colliditur orbis. Sic certat uerbum cum portis inferorum, ut necesse sit, hanc commotionem corporum et animorum maximam rerum mutationem afferre. Neque enim hoc modo stare aut durare potest mundus. Deinde monstra illa incredibilia, scil. Christianissimi, imo sceleratissimi Regis, et Sanctissimi, imo insanissimi Papae foedera cum Turca prophetant aliquod dissimile multis seculis. Quis putasset, nos

*) Seckendorf. Hist. Luth. L. III. p. 518.

ad haec tempora uenturos, et tam horrenda uisuros esse? Nihil de his eclipsibus et signis praedixerunt Mathematici, sed ille solus, qui ait: Et signa magna erunt. Vere ista signa sunt, uere magna sunt. Oremus et leuemus leuatis capitibus, appropinquat redemtio nostra, Amen.

Et in hac urbe regnarunt morbilli. Simul omnes mei liberi eos passi sunt, et febrim ex ipsis contraxit Margarethula mea, quae adhuc aestuat.

Gallus dicitur ad xxx millia Turcarum habere in Gallia, non ex Asia, sed ex Africa, et inuadere creditur uelle Lucelburgam, uel etiam Treuerim. Deus misereatur nostri. Germania exhaurietur exactionibus grauibus. Summa, haec sunt initia malorum, utinam finis peccatorum et mortis huius, Amen.

Saluta uxorem et omnes tuos et nostros. In Domino uale. f. 5. Paschat. (d. 17. April.) 1544. *)

CCIX.

Ministris uerbi in Ecclesiis Eperies et uicinorum locorum.

Venerabiles in Domino fratres. Literas uestras lugubres nimis legi magno cum dolore cordis mei,

*) VN. 1704. p. 828. et Tob. Eckhardi Codices manuscripti Quedlinb. p. 91.

tantam uidens iram Dei, imo tanta demerita peccatorum nostrorum, quae coegerunt Deum ad mittendas contra nos tam horribiles furias Turcarum: Ipse det ut resipiscamus, et acta poenitentia placemus hanc iram, aut si omnino decretum est ita fieri, faciat, ut sit haec nouissima ira, et unum de magnis signis ante diem gloriae suae et salutis nostrae, sicut dixit: Et signa mea erunt, Amen.

Caeterum quod de Matthia Devay scribitis, uehementer sum admiratus, cum et apud nos sit ipse adeo boni odoris, ut mihi ipsi sit difficile uobis credere scribentibus. Sed ut ut sit, certe a nobis non habet Sacramentariorum doctrinam. Nos hic constanter contra eam pugnamus publice et priuatim, nec ulla suspicio aut tenuis odor est apud nos de ista abominatione, nisi Diabolus in occulto aliquo angulo susurret. Forte hoc mouet, quod eleuationem hostiae deposuimus in gratiam aliquorum uicinorum non in necessitatem. Quia ab initio uoluimus eam haberi liberam, nec adhuc in negationem doctrinae nostrae de sacramento omittimus. Cum aliis etiam sub ecclesia nostra liberam permittimus, etiam ipsi eam restauraturi, si opus sit aut utile, sicut Ecclesia tota Mediolanensis neque canone neque eleuatione utitur usque in hodiernum diem, etiamsi tota Romana Ecclesia aliter faciat, nec est ulla ibi offensio. State ergo et nolite dubitare, me

nunquam (nisi me Deus furiosum fieri permittat) sensurum esse cum aduersariis Sacramenti, nec eam abominationem passurum in Ecclesia mihi credita. Aut si (quod auertat Deus) aliter fecero, uos cum fiducia dicite, me furiosum et damnatum esse. Diabolus est, qui cum sciat, tot meis libris testibus me inuictum esse in publico, cogitat serpentinis et clancularíis sibilis, ubi potest, in angulis infamare, et uerbum ueritatis sub mei nominis titulo deformare. Cogor itaque post tot confessiones meas adhuc unam facere, quam faciam propediem et nouissimam.

De M. Philippo mihi nulla est omnino suspicio, neque de ulla nostrum. Nam ut dixi in publico ne mutire quidem audet Satan. Oremus ardenter, ut Dominus noster J. C. finem faciat propediem istius mundi nouissimi et pessimi, qui uenit ad summum ut neque se ipsum ferre ultra posse uideatur. Veni Domine Jesu, Amen. In quo bene ualete. Datae Wittemb. fer. 2, post Quasimod. (d. 21. April.) 1544. *)

---

*) VN. 1727. p. 181. et a. 1718. p. 931.

CCX.

Johanni Hontero.

G. et P. Scribis, mi Hontere, dediſſe te ad me literas, ſed neſcire, an iſtis periculoſis temporibus redditae ſint. Scias autem eſſe redditas ſimul incluſo nummo aureo, effigiem Theodoſii habente, quem ſcripſiſti mihi donatum a Praefecto ſeu iudice ueſtrate in memoriam ſui, cui uice mea gratias agas oro. Caeterum de ſtatu eccleſiae et religionis apud uos paulatim reficiente laudo Deum Patrem luminum, a quo omne bonum procedit, et precor, ut augeat uos et benedicat omni benedictione ſpirituali, Amen. Non deerit uobis morſus ſerpentis, quia ſic ſcriptum ſic factum ab initio, ſic futurum eſt ad finem, ut inimicitias inter ſemen ſerpentis et ſemen mulieris ſtatuamus. Aliter non habet, nec habere poteſt Eccleſia Dei uera. Solatium eſt autem noſtrum, quod uictoria ſemper eſt penes conterentem contra mordentem, ſicut ſcriptum eſt: ipſum conteret caput tuum. Recte igitur facis, recte ſentis, uigilandum uobis contra hoſtes externos et lupos uicinos et domeſticos; hi ſunt dentes ſerpentis et quidem molares, ut Prophéta ait Pſal. 68. 7. Sed occupatiſſimus ſum iam ſenex et effoetus, qui requiem quidem opto, meritam, ut puto, ſed parum ſuccedit uotum. Ideo ſi bre-

uius ſcribo, aut ſi non reſpondi antea, ignoſcas uelim. Dominus ſit tecum, et cum omnibus uobis, Amen, Dominica Cant. (d. 11. Maii) 1544. *)

D. M. Philippus abeſt in Thuringia.

CCXI.

Martino Gilberto.

G. et P. Niſi tu aliud uel aliter dixeris, mi Martine, quam quod ſcribis, non magnopere reprehendendum eſſet, niſi quod id uerbum, quo uſus es, integrum Chriſtum paſſum eſſe ex duabus naturis conſtantem, id forte offendit. Ideo tibi cogitandum eſſet potius, ut ſecundum apoſtolum idem ſit dicendum. Quamuis enim idem eſt, integrum Chriſtum ex duabus naturis conſtantem eſſe paſſum ect. haec omnia ſana ueraque ſunt. Tamen ſi aliud intelligeres in uocabulo integer, ſiue diuinitatem eſſe ſeparatam, et ſeparatim paſſam, cum et in humanitate hoc nihil ualeret. Quare ſic te exponas aperte, te nihil aliud uoluiſſe, quam illam perſonam, quae eſt Chriſtus, ex diuina et humana conſtantem, eſſe uere paſſum, ita ut uere dicatur: Filius dei, imo ipſe Deus uerus eſt paſſus, quia

*) VN. 1715. p. 591. et Gerdeſii Scrin. antiqu. P. VII. p. 360.

Deus uere est homo, et homo uere est Deus in una persona, 1 Cor. 1. Nunquam Dominum gloriae crucifixissent. Non dicit purum hominem crucifixerunt, sed dominum gloriae. Alias alia. Sum occupatissimus, et senio negotiisque fessus. Bene uale in domino. Vocem iucund. (d. 18. Maii) 1544. *)

CCXII.

Georgio Spenlin, Pastori Arnstadiensi.

G. et P. in Christo. Laetatus fui, cum nuper audissem, mi Georgi Spenlin, Pastor et frater, dissensionem illam foedam in parochia tua esse compositam. Et quamuis causa fuisset indignissima, propter quam tantos motus cordium faceret satan, probaui tamen Doctoris Morlin sententiam, quod suam causam Deo commendauit propter bonum pacis, quae superat omnes nostras sed menstruatas et stercorosas coram Deo iustitias. Sed ecce satan adhuc in suo nido latet, pacis huius impatiens sufflat in nouam scintillam de uera et falsa reconciliatione. Quare te oro, ut officio pastorali ad te uoces illum, quisquis est Simon, et tuum Diaconum, et uerbis mansuetudinis dicas et roges in Christo, ut pacem per Domi-

*) Schelhorn. Ergötzl. T. I. p. 82.

Dominum Fridericum factam conseruare studeant. Et quia uideo quod certis formis uerborum alter ab altero petere ueniam fugit, tu ut pastor in nomine tuo uel meo etiam causas utriusque ad te recipias, et iubeas, Simonem omittere querelas ultra mouere, Diaconum uero omittere exactionem reconciliationis. Si enim sic pergit ad uiuam cutem secare iustitiam, nunquam erit pax. Wer ein Christ seyn will, der muss sich in solchem Fall auch seiner schönen Gerechtigkeit verzeihen umb fridens willen, und Gott auch etwas lassen zu richten befohlen seyn, et locum dare non solum gratiae sed etiam irae. Denn ohn unsere Gerechtigkeit können wir seelig werden. Aber ohne friede können wir nicht Christen seyn. Quia Christus est pax. Ergo tu acceptis amborum dextris pronuncies: Ego uester Pastor sopio et exstinguo inter uos uestras offensiones, mihi et in manus datis eas, sitisque uos in pace in nomine Domini, Amen.

Quodsi unus uel alter posthac pueriliter et muliebriter uoluerit gloriari: Ja ich habe gleichwol recht, er hat mirs müssen abbitten, der Pfarrer muss zu sich nehmen: hunc tibi significabis diligenter, hic est certissime unus de seminibus discordiae, iactator iustitiae suae indomitus. Ideo sit eius iustitia secum in perditionem, qui pacem pub-

licam non aestimat unius pili ad suae iustitiae gloriosam uictoriam. Ideo enim est sua iustitia septupla iniustitia, et sua uictoria maledicta in aeternum, quae Christum pacem nostram conculcat pedibus. Sondern so sollen sie sagen: Ja lieber Herr Pfarrer, ich habe recht oder unrecht, so will ichs zu Dienst dem lieben Frieden fallen lassen. Ist es recht, so sey es Gott befohlen. Ists unrecht, so ist es mir leid, denn ich will auch lieber ein Kind des Friedens seyn weder meiner eigenen Gerechtigkeit. Denn es sey hin, weil es doch nicht die Lehr antrifft etc. denn was man nicht schlichten kan, ohne Verstörung des Fridens, soll man es auff ein Knebel winden, bis es Gott selbst einmal abwinde. Tentat enim nos satanas. Will solches alles nicht helfen in dem Teuffelsgenüst, so muss man zum Scheiden greiffen. Aber das ist denen zu Arnstadt nicht zu rathen, denn sie möchtens zuviel machen, wenn die Prediger der Lehre und Leben unsträflich in solcher Gefahr sitzen sollen, dass sie umb eines ieglichen Worts willen möchten auffhüpfen und springen, und solte nicht also uiel Lieb zum Fried bey ihnen seyn, dass sie nicht ein Wort erhören könnten, von ihren Seelsorgern, das werden nur schlechte Christen seyn, und eben dieienigen, die umb ihrer Ehre willen (Dreck sage ich) die ganze Kirche betrüben und

irre machen, daſs ſie nimmer wiederbringen können, da iſt dem ihre Ehr zur ewigen Schand worden in der Höll, es ſiehet, als ſind etliche Köppſich gnug.

Sed tu hortare eos, ſicut dixi, ut poſitis querelis et iuſtitiis ſuis in tali periculo pacis ſeruent pacem factam. Alioquin litium nullus erit finis, et ſatan triumphabit contra Chriſtum. Vae illi, per quem hoc ſcandalum uenit. Nam ſicut uere dictum: caput melancholicum eſt paratum balneum Diaboli. item: amor iuſtitiae propriae eſt perfectum regnum Diaboli. Dominus Jeſus adiuuet te Spiritu ſancto ſuo, ut ſatanam iſtum pertinacem et capitoſum expellere poſſis, Amen. In Domino uale. f. 3. poſt Viti, (d. 17. Junii) 1544. *)

CCXIII.

Nicolao Amsdorfio, Epiſcopo Naumburgenſi.

G. et P. Reuerende in Chriſto Pater. Ego ſentio, coniugium Paſtoris, qui nouercam uxoris ſuae defunctae duxit, inceſtum eſſe, ideoque aut dirimendum eſſe, uel extra dioeceſin tuam expel-

*) VN. 1708. p. 657.

lendum, deinde propter ſcandalum, quia paſtor eccleſiae toties praemonitus tale eſt auſus.

Cancros ſolus coactus es comedere. Satis multum inuideo, et diſplicet, me ex aula tam diu eſſe dilatum. Es iſt doch mit dem Hofe nichts. Ihr Regiment iſt eitel Krebs oder Schnecken. Es kan nicht faſt von Stetten, oder reit immer zurück. Chriſtus optime Eccleſiae conſuluit, quod aulae non commiſit Eccleſiae adminiſtrationem. Der Teuffel hette ſonſt nichts zu thun, als Chriſten Seelen zu freſſen. Dicitur hodie Princeps uenturus huc. Ibi explorabo, an uelit praeſtare, quod promiſit de meo ad te aduentu. Si iterum differet, ego tibi ſignificabo, ut adhuc ſemel obuiis tuis equitibus me excipias. Interim in Domino uale. Ego rependam damna deuoraturus tecum omnes reliquos cancros. Atque utinam noſtrae eccleſiae cancros et teſtudines omnes uorare poſſem. Fer. 2. Praxedis (d. 22. Julii) 1544. *)

CCXIV.

Nicolao Amsdorfio.

Oneraſti me ignarum, et pene furem inuitum feciſti rerum tuarum, quanquam tu fortaſſe Joſe-

*) VN. 1761. p. 385.

phi exemplum interpretaberis, qui fratri ſuo Beniamin ſcyphum in ſaccum clam iuſſit includi. Verum tu noſti, quam indecorum ſit, me Theologum pauperem et humiliori loco natum et poſitum bibere argento et auro. Quare et hoſtibus et inimicis uerbi, etiam inter noſtros, ſcandalum praebebo et ero. Igitur in tuam praematuram et intempeſtiuam prodigalitatem reiiciam omnem culpam, proteſtatus (ſi quid hoc promouebit) me tua charitate, non mea uoluntate, tam ſuperbum et ambitioſum eſſe factum. Gratias tamen ago quam maximas, et ſi quid poteſt mea tam frigidi peccatoris oratio apud Deum, efficiam, ut et tui et adminiſtrationis tuae non immemor inueniar. d. 27. Auguſt. 1544. *)

---

*) Seckendorf. Hiſt. Luth. L. III. p. 519.

Inuaſit Lutherus hoc anno Amsdorfium, qui illum humaniſſime et liberaliter excepit, et abeunti Praefectum ſuum comitem Vitebergam usque dedit, cantharum quoque argenteum cum cochleari donum apud eum clam deponi iuſſit. Id cum non niſi poſt abitum Praefecti animaduertiſſet Lutherus, his literis gratias egit.

CCXV.

Christophoro Piscatori, uerbi in Juterbock ministro.

Quaestiones tuas accepi, mi Christophore, et licet mihi nec otium nec ualetudo sufficiant, omnium literis respondere, tibi tamen respondebo breuissime.

Ad I. poteris denunciare e suggestu contumacibus et contemtoribus sacramenti, eos non esse inter Christianos habendos, et extra coemiterium sepeliendos, maxime eos, qui monachos adeunt, et sese communicari faciunt. Sed uide, unde tibi uires sint ad exequendum, an magistratus tibi adesse cum ecclesia uelit.

Ad II. si poteris resistere, ne eleemosyna detur monachis aduersariis et perturbatoribus ecclesiae et ministerii, recte feceris.

Ad III. Satis multum est, quod hactenus passi sunt Episcopi quod mulieres et uirgines in templum ingrediantur ornatae et coronatae, tanquam in theatrum, est abusus satis manifestus contra Paulum et Petrum. Sed uiolenta est consuetudo. Quare omnino prohibendus est abusus in percipiendo sacramen-

to, ut non sint deformes nostris et aliis ecclesiis. Est enim signum leuitatis et eorum, qui nihil plus aestimant sacramentum, quam panem in mensa communi.

Ad IV. Quantum potest fieri, resistendum est dilationi baptismi, ne hoc usu exemplum tandem irruat in perpetuum abstinendi.

Sic in Italia in multis urbibus magna pars hominum per omnem uitam manent sine baptismo, dum in pueritia non baptizantur: grandes effecti contemnunt omnia, et moriuntur ἄθεοι. Sic Papa Clemens sine baptismo *), mortuus est: id quod spirat anabaptismum. Vale in Domino. post Martini (d. 16. Nou.) 1544. **)

---

*) Quod de Clemente VII. siue Julio Mediceo scribit, fama a multis annis per Italiam et alias prouincias uulgauerat. Natus enim fuit ex furtiuo concubitu, et diu celatus, unde rumor ortus erat, ne baptizatum quidem infantem fuisse, Leonis tamen X benignitate pro agnato postea habitus, et nescio cuius testimonii fide natalibus restitutus est, ut nomen et insignia gentis Mediceae palam assumeret.

**) Epistolae ad Conr. Schlüsselburg, p. 1.

CCXVI.

Antonio Lauterbachio.

Quod non ſcripſi aut reſpondi tuis iam binis literis, mi Antoni, ſpero me facile excuſari apud te, qui noris, quam ſim occupatus, deinde piger, ſenex, et cupidus mortis. Deinde, quod mentem meam in hac cauſa certiſſime notam habes. Sed ſi petatur a nobis, aliquid concedi ceremoniis, non iure, ſed charitate libertatis, praeſertim a tali et tam pio Epiſcopo, qualis eſt Mersburgenſis optimus Princeps, (nam apud Deum et apud me uerus eſt Epiſcopus, etiamſi tituli uarient, qui ad rem nullius ſunt ponderis) nos debemus cedere inuicem ſecundum doctrinam Pauli, qui fuit omnia omnibus, Judaeis Judaeus, Gentilibus Gentilis. Secus, ſicubi ſenſit ſe cogi in ſeruitutem et neceſſitatem, ibi plane nulli cedebat. Quare non eſt, quod dubites, aut quaeras in hac re amplius. Veritas Spiritus longe eſt praeferenda, ut, quae ad uitam aeternam pertineat, iſtis temporalibus et indifferentibus rebus, quae cum hac uita finiunt —— 2 Januar 1545. *)

---

*) Seckendorf. Hiſt. Luth. L. III. p. 593.

CCXVII.

Justo Jonae.

Remonuit me filius tuus, Justus Jonas, non quidem magister noster, sed noster potius magister, ut ad te scriberem, mi Jona. Aiebat enim id te cupere, et tibi gratum fore. Scribo itaque, nec quid serio scribam, habeo, cum tu semper anteuertas rebus nouis scribendis. Nisi forte id ignoras: Circumfertur epistola Papae, quam e Venetiis fratres miserunt Vito Theodoro, satis superba et concitata ad Carolum V. Imp. in qua multo et magno planeque Italico supercilio expostulat cum eo, cur audeat permittere et promittere colloquia de religione, cum non sit suae functionis, docere, sed potius audire et discere a matre Ecclesiarum et magistra fidei, (haec sunt uerba tibi satis nota ut apostatae Juristae) Multi dubitant, an res sit seria, uel Pasquilli ludus. Sed mihi tamen nonnihil omnino uidetur. Praeterea uox est iactata, Carolum uelle reformationem in comitiis futuris proponere ad exemplum Ecclesiae, quae fuit tempore Nicaeni concilii. O festiuam reformationem, si uera sunt. Nae tum plane res Papae ad restim redierit, uel si insidiae sunt, ut nos hac spe ad consensum, ut magis credo, alliciant; tum Papa promissor nos captos pulchre illuserit. Nam promissionibus Papae

eſt idem, quod ipſi patri mendacii (cuius ipſe eſt ipſiſſimus filius) credere. Tamen uellem Papam cogi ad exemplum Nicaeni concilii. Deus bone, ubi tum tuus coadiutor? tuus carnifex? meus Cardinalis? Sed nos orabimus ſerio, dum illi ludunt et illudunt Deo et toti creaturae eius. Erit, cum ludere deſinent, ut ſerio tum plorent in inferno. Habes quae potui ſcribere, ne nihil ſcriberem. Vale et ora pro me. 26. Januarii, 1545. *)

CCXVIII.

Georgio Principi Anhaltino.

G. et P. in C. Migrauit igitur a nobis, Clariſſime Princeps, Georgius noſter Heltus, migrauit magno ſui deſiderio relicto et dolore noſtro. O Deus meus, in iſto tempore, quo nobis eſſet opus multis ſanctis uiris, quorum precibus, conſiliis et auxiliis conſolaremur et foueremur, etiam reliquias iſtas in nobis tollis? Scimus, placitas tibi, o Deus, fuiſſe huius Georgii preces et operas, qui filium tuum D. N. J. C. ardentiſſime dilexit, ſtudioſiſſime coluit, et Eccleſiae tuae utiliſſimus fuit. Ego ipſe certe plurimum in ipſius precibus fidebam, et con-

*) Seckendorf. Hiſt. Luth. L. III. p. 593. Litt. Wochenblat. P. II. p. 318.

ſolatione ſuauiter fruebar. Quanto magis tibi, Clariſſime Princeps, acerbiſſimum uulnus inflictum credo illius diſceſſu, cuius tibi fuit conſuetudo ſuauiſſima et ſinceriſſima? Cum illo bene actum eſt, qui collectus ad patres ſuos et populum ſuum, plurimos ibi et meliores inuenit, quam hic reliquit. Sed nobiscum duriſſime agitur, cum in iſta Sodoma et Babylone uiuimus, uel mortificamur potius, et nobis tales eripiuntur Lothi et Danieles, quorum quo magis opera opus habemus, uergentibus rebus in deterius quotidie, hoc minor eorum copia nobis reliqua eſt. Sed conſilium Dei adorandum eſt, ut eſt natura eius, dum aliquid magnum, et quod ſpem excedit, facturus eſt, prius omnia annihilat, et in deſperationem adducit, ſicut ſcriptum eſt: deducit ad inferos, et reducit. Hoc facit, ut erudiat nos in fide, ſpe et charitate erga ſe ipſum, ut diſcamus inuiſibilia eius praeferre apparentibus, et contra ſpem in ſpem credentes in ipſo haereamus, qui uocat ea, quae non ſunt, ut ſint. Quae enim quis uidet, quid ſperet? Deinde ut et dilectio fiat fortis, ut mors et aemulatio dura ſit, ſicut infernus, dum nobis aufert ſua dulciſſima dona, et oſtendit ſeſe prorſus inamabilem Deum tunc maxime, cum de bonis optime et amantiſſime cogitat et ſollicitus eſt. Sic, ſic occiditur uetus homo, et deſtruitur corpus peccati. Quare,

Clariſſime Princeps, te ipſum conſolare ſecundum opulentam menſuram cognitionis, quae tibi donata eſt noſſe Deum Patrem et Filium ſuum, et in operibus manuum ſuarum exercitatus es. Nos orabimus, ut Deus totius conſolationis te roboret et firmet Spiritu ſancto, donec illuceſcat et ueniat hoc opus, quod in iſtis tentationibus iubet nos expectare. Non enim ex corde, ait Jeremias, humiliat filios hominum. Et Auguſtinus in quodam loco: non permitteret Deus malum fieri, niſi ex hoc melius aliquid elicere uellet. Nos adhuc in carne ſumus, ignari, quid petere aut quomodo petere debeamus, h. e. quid nobis proſit et optimum ſit. Ille autem, qui potens eſt facere ſupra quam petimus aut intelligimus, pro nobis ſollicitus, plura et ampliora poteſt, quam anguſtia noſtri cordis auſit optare aut cogitare. Sed ea dare non poteſt, niſi prius ea tollat, quibus nos credimus carere non poſſe, aut magno malo et periculo carere. Exemplis ſcriptura referta eſt. Adam et Heua ſpe magna de Cain ebrii fuere, mox utroque filio orbati de tota re deſperabant. Sed Deus, qui uiuificat mortuos, et ex nihilo facit omnia, mox donat eis ſemen aliud pro poſteritate nunquam defectura. Abraham de Iſmaele ſibi grandia promittit, Iſaac de Eſau, Iacob de Ruben; ſed ſpes tantas omnes oportuit occidere, ut ſurgeret noua et aeterna ſpes. Et

nunc nos in hoc calamitoso saeculo prorsus omni spe destituimur. Sed speramus tamen in Deum uiuum spe noua, facturum eum esse finem istorum malorum propediem, nec fallemur. Fidelis et potens est Deus, qui promittit et facit. Lugeamus igitur nostrum charissimum Georgium Helt, quia defecit lux sua, ut Sirach loquitur: non sibi, sed nobis. Illi enim lux sua aucta et stabilita est in aeternitatem, donec et nobis cum illo eadem lux nostra et hic deficiat, et illic perficiatur, per illum, qui est lux et uita nostra, Amen. In quo Celsitudo tua quam optime ualeat. d. 9. Martii, 1545. *)

CCXIX.

Martino Gilberto.

Deum aeternum Patrem Domini nostri J. C. oro, ut ministerium tuum gubernet. Diaconi mihi ingenium uidetur bonum esse, quem hortatus sum, ut ecclesiae concordiam tueatur. Feramus, mi Gilberte, difficultates, quae nostras functiones comitantur, mediocri aequalitate animi, et expectemus a Christo auxilium. Nunc uiolae prodeuntes te interdum exspatiantem ad hortorum uestrorum sepem admoneant nostrae conditionis. Consulamur a populo cum quadam doctrinae fragrantia ecclesiam

*) Extat ap. Seckendorf. L. III. p. 594.

compleamus, et uestis est purpurea, referens afflictionum colorem: se flos alius intus aureus ac luteus non marcescentem fidem significans. Faciamus nostrum officium, et oremus Deum, ut exitus gubernet, sicut promisit eos, qui in ipso manent, copiosum fructum laturos esse. De conuentu in urbe Vangionum adhuc silentium. Imperator morbis retinetur in Belgio. Bene uale. 14. Martii, 1545.*)

CCXX.

Casparo Heidenreich.

G. et P. in D. Audio tibi natum esse filiolum, mi charissime Caspare, sed eundem absente te simul et natum et defunctum, id quod te ferre aegerrime dicunt, quod scilicet fructum carnis tuae non uideris. Sed desine contristari, gaude potius eum esse in Christo renatum, quem uisurus sis in gloria, quem hic non uideris in ista miseria, ut dicit sapiens: raptus est, ne malitia mutaret sensum eius, aut defectio deciperet intellectum illius. Consummatus breui expleuit tempora multa. Sed haec omnia ipse nosti, qui talia docere alios et potes et debes. Quanquam non turpiter facis, si carnali et naturali affectu patris ex parte moueris. Non enim

*) Litt. Wochenblat. P. II. p. 313.

ſaxa ſumus, nec eſſe debemus. Sed modus eſt in rebus. Bene uale in Chriſto. 8. Kal. Maii (d. 24. April.) 1545. *)

CCXXI.

Georgio Mohr.

G. et P. in D. Obſecro, mi Georgi, ne ſis adeo puſillanimis, nec tam cito deſpondeas animum, uiuit adhuc, uiuetque in aeternum, qui dixit: Non te deſeram, neque te derelinquam, quem tu praedicaſti tot annis, talem eſſe et fore ſemper. Tuum eſt, ut feras hanc tentationem fidei. Quod ſuſpicaris, ex amotione tui e Numburgo tibi ortum eſſe contemtum tui et periculum, ſcias, hoc non ita ſe habere. Nam, ut noſti, rebus non potuit conſuli, niſi uterque tu et Medlerus eo tempore amouemini. Sed uti illi non fuit infame, nec tibi erit. Proinde meliora de nobis cogites uelim. Non uolumus te relictum, tantum breui habeto patientiam, donec Princeps nunc difficili bello implicitus redeat. Tum uel ſtipendium tibi impetrabo, uel interim conditione aliqua prouidebimus, quam primum poſſumus. Non obliuiſcemur tui. Nam nec poſſumus, nec uolumus donum Dei, quod in te eſt, et talentum datum eſſe otioſum aut extinctum;

*) Schelhorn. Ergötzl. T. I. p. 82.

tantum esto uir fortis, et confide in Domino, id quod hactenus alios docuisti. Mitto tibi in signum erga te meae charitatis et dexterae existimationis hoc munusculum, sed magnum prophetam Hoseam, meo labore et dono Dei explicatum, ut sis certus, te esse et fore in mea memoria, ad consulendum tibi promptissime. Ac si forte obrutus negotiis uel tentationibus differrem, liberum ad me aditum tibi patere scias, siue literis siue nunciis; tantum sustine Dominum et uiriliter age. Vale in Christo, ipso die S. Galli (16. Octob.) 1545. *)

CCXXII.

Sculteto Pastori in Belgern.

Orationem et Pacem in Domino et Jesu Christo. Venerabilis Domine Pastor. Es hat mir der Schöffer zu Torgau und der Rath zu Belgern zugeschrieben, und vor die Frau Hans Kornerin gebeten, ihr guten Rath und Trost zu geben, damit ihrem Manne möchte geholffen werden. Nun weiss ich warlich keinen weltlichen trost, und wo die Aerzte nicht Hülffe wissen, so ist es gewiss nicht eine schlechte Melancholie. Sed opus est tentatio diaboli, cui oportet per orationem fidei in uirtute Christi

*) Schlegelii uita Jo. Langeri p. 228.

Christi occurrere. Sic nos facimus et facere solemus. Erat enim hic Arcularius ita correptus mania quem oratione curauimus in Christo. Quare sic facias. Accedas cum capellano et duobus aut tribus bonis uiris et tu in fiducia certa, quod sis in officio ecclesiastico publico, et Pastor in eo loco impone ei manus dicens: Pax tibi frater a Deo patre nostro et Domino J. C. Post orabis audibili uoce super eum symbolum et Pater noster concludens his uerbis: Deus Pater omnipotens, qui dixisti ad nos per filium tuum, amen amen dico uobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Et iterum per eum iussisti et coegisti orare: petite et accipietis. Item Ps. 50. Inuoca me in die tribulationis, et eripiam te, et tu glorificabis me. Nos igitur indigni peccatores in uerbo et iussu filii tui oramus tuam misericordiam, qua possumus fide, digneris hunc hominem ab omni malo liberare, et opus satanae in ipso dissoluere ad gloriam nominis tui et incrementum fidei et sanctorum per eundem Dominum nostrum J. C. filium tuum, qui tecum uiuit et regnat per omnia saecula saeculorum, Amen. Tunc abeundo impositis manibus iterum dicito: Signa eos, qui crediderint, haec sequentur, super aegros manus imponent, et bene habebunt. Hoc facies ter semel in uno die

admiſſis nihilominus publice in Eccleſia orationibus in ſuggeſtu, donec Deus exaudiat. Nos una coniungemus noſtras preces et orationes in Domino qua poterimus fide ſemper. Vale aliud non habeo conſilium qui ſum etc. 1545. *)

CCXXIII.

Wolfg. Fabritio Capitoni Hedioni et M. Bucero.

Mitto ad uos, Chariſſimi uiri, noſtram exhortationem ad Senatum et inuitus mitto. Scio enim illam indigniſſimam, quae a uobis legatur. Sed quia uos putatis et noſtras quoque nugas eſſe aliquid, malui uobis gerere morem, quam peccare contra charitatem. De eruditione, ſicut uidetis, nihil poſſumus polliceri: at de conſtantia, quae ad fidei confeſſionem attinet, Chriſto duce, nihil non pollicemur uobis. Rogo itaque uehementer, uobis etiam atque etiam perſuadeatis, nos tres officio noſtro defuturos nunquam. Bene ualete, et pro eccleſia noſtra orate. Caeterum omnia recte habent. Euangelion audietis ex D. Sturmio, quem fortaſſis intra horam ſalutabo. Francoforti 1. Jan. 1546. Lecta exhortatione curate, ut ſupprimatur. **)

---

*) VN. 1719. p. 760.

**) Bibl. Brem. Cl. IV. faſc. V. p. 914.

CCXXIV.

Nicolao Amsdorfio.

Gratiam et pacem in Domino, Reuerend. Pater in Christo. Quanquam multa uideantur certo futura, nihil tamen certo scribere passum. Vnum hoc certum est, Principi nostro Electori horribiliter irascitur Satanas et regnum eius totum, in quo et tui Misenenses, hominum omnium qui uiuunt, perditissimi, quorum Lipsia auarissima, superbissima, et super omnem Sodomam pessima est caput. Sie wollen verdampt sein, so geschch, was sie haben wollen. Caesar auersus est totus, et quod hactenus dissimulauit, nunc prodit. Nos oremus, ut Christus uiuat in nobis. Nouum malum contra nos cogitat Satan. Sollicitat multos Comites et Principes, et seditio periculosa agitatur, et Episcopus Munsterinus post rusticos nunc nobiles inuadit. Gott steure und wehre ihm, er meints warlich bös. Sed totum contra nos et Principem nostrum et Christum. — Nosse te puto D. Turcam, filium Diaboli magnum, futurum cancellarium Dresdensis aulae, ut fertur. Vbi Moguntinus cuius Turca bis terue plenus est, in Misnia regnabit, nunc Dux Georgius et Moguntinus etiam regnabunt mortui Dresdae. Helff Gott unserm gnedigen Herrn es gilt ihm ein strauss.

Sed ſperamus, quod Deus noſtra oratione confundet eos in ſapientia ſua ſicut Mezentium, Amen. Ich hette nicht gemeinet, das ſolche verzweiffelte Böſewicht in Meiſſen weren. Datae 8. Januar. 1546.*)

CCXXV.

Crotelio.

Mitto, mi Croteli, hymnum Ambroſianum uerſum germanice; ſed in his hymnis et ſimilibus unum illud deſidero, quod tantum laudant Deum de operibus creationis, ut mane, meridie, ueſperi. Unde canonicae horae dicuntur, cum idem faciunt Judaei, Turcae et omnes impii, et nobis Chriſtianis conueniat, ut iugiter et ardenter recordemur recreationis omnium ac hiſtoriae hiſtoriarum et rei omnium rerum, quam deſiderant angeli uidere, et admirantur iam in aeternum, nec ſatiari poſſunt, ut Petrus ſentit, uidendo et admirando. Nos uero, quod parum eum conſideramus, frigide tractamus, uel in totum obliuiſcimur, peccamus. **)

---

*) Hummels Biblioth. P. I. p. 235.

**) Litt. Wochenbl. P. II. p. 310.

Addenda et Emendanda.

Praefat. pag. 4. not. ſubi. Inſerenda haec: Strobels Beiträge etc. B. I. u. II. 1784—87. oct.

Ibid. delend. III. et ſcribend. V. mutand. 92 in 94.

Meretur et hic loci huius literaturae amantibus commendari Indiculus, qui prodiit Erfurti 1798. octon. mai, ſub titulo: Repertorium für die Reformations- und Literar-Geſchichte des. de XVI. Jahrh. od. allgem. Verzeichniſs der dahin einſchlagenden Vrkunden und Nachrichten, welche in den Löſcher-Cyprian-Kappe- und Strobel'ſchen Schriften zu finden ſind. Plagg. 64. Quod eo magis neceſſarium uidetur ob defectum exemplorum, qui, dudum obſeruatus, facit, ut uel in quam plurimis tabernis librariis talia uano inanique obtinendi ſtudio his noſtris diebus quaerantur. Optandum, ut idem Vir doctus, quisquis tandem fuerit, et ulteriorem Indicis ſpecialioris, in Praef. certa ſub conditione promiſſi, continuationem Literaturae huius ſtudioſis hominibus non inuideat, mature potius mittat in publicum.

Pag. 29. not. * Ponitur quidem his in Variis literariis Januarii loco Februarii, quod poſterius tamen nos, MS. b. Strobelii ſequuti, in textum curauimus recipiendum.

Pag. 37	lin. 19	Veltem mutandum in uellem.
— 57	— 5	confido —— in confido.
— 98	— 17	Post timendum Comma delendum.
— 100	— 12	Verba ordinanda sic: die Vrbani (25. Maii).
— 117	— 14	Pro niso legendum nisi.
— 146	— 16	Pro haec —— hac.
— 169	— 14	Grauat mutand. in grauant.
— 177	— 11	Oruauit — in ornauit.
— 188	— 23	Verba haec: quod singulariter iussit: Parenthesi curauit includenda b. Strobel in Miscell. loco infra laudato.
— 206	— 26	Coepis mutand. in coepit.
— 225	— 14	facili — in facile.
— 229	— 11	Delendum comma post uocem regnum.
— 232	— 8	bapzizatus mutand. in baptizatus.
— ibid.	— 16	Comma post Christo mutand. in Punctum.
— 233	— 20	blasphemia mutand. in blasphema.
— 235	— 16	Post optimo suo delendum comma.
— 243	— 8	refente mutand. in referte.
— 246	— 17	mihiu ulnus haec uerbula sic emendanda: mihi uulnus.
— 260	not.*	Post inde inserendum: forsitan legendum —
— 269	lin. 3	Ante uoculam doctrinae inserendum uerbum: sinceritas.
— 269	— 12	meum muta in meam.
— 273	— 9	ne fas contrahendum in unum.
— 290	— 13	aga mutand. in ago.
— 291	— ult.	scsiptarus muta in scripturus.
— 299	— 13	seruari mutand. in seruaui.
— 311	— 7	resumsi mut. in resumsi.
— 323	— 11	stercere mut. in stercore.
— 329	— 16	Post praepositionem — pro — delenda lineola coniunctiua.
— 341	not. subi.	Inuasit muta in Inuisit.

Reliqua operarum uitia, a nobis praetermissa, Lectoris curae atque diligentiae commendamus emendanda.

3 2044 069 624 856

LUTHER, Martin 608.2
[Letters] ... L97.7
Epistolae ... 1814